1

PROV. DIOC.
161
F
15

BIBL. NAZ.
VITT. EMANUELE III
161
E
15
NAPOLI

114. f. 79.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

CONSTITUTIONES
SYNODALES

Diæceſis Luceórienſis & Breſtenſis

Ab

Illuſtriſſimo Excellentiſſimo & Reverendiſſimo Domino

D. STEPHANO BOGUSLAO

à Rupniew in Januſzowice

RUPNIEWSKI

Dei & Apoſtolicæ Sedis gratiâ
Epiſcopo Luceorienſi & Breſtenſi

LVCEORIÆ

In

ECCLESIA CATHEDRALI

Præſente Universô Diœceſis Clerô & Populô

LATÆ

CELEBRATÆ

&

PROMULGATÆ


Annô Domini 1726. Die 21. Menſis Octobris & alijs duobûs ſequentibus.

VARSAVIÆ

Typis S. R. M. Scholarum Piarum.

BIBLIOTECA NAZIONALE

In Avitum Decus
ILLVSTRISSIMI ANTISTITIS.



Qui Gemmas ſemper vexit SRZENIAVA Virorũ
    Jam vehit Auguſtas Relligionis opes.
Fauſtiùs haud alijs *Petri* defluxerat unquam
    Navis Aquis, quàm dum flumine fertur in hoc.
Perge ultrò *Pactole* ſacer felicibûs Undis,
    Portus, quô ſiſtas, ſit Tibi ſummus Honor.

Digitized by Google

S E R M O
ILLVSTRISSIMI EXCELLENTISSIMI & REVERENDISSIMI DOMINI
D. STEPHANI BOGUSLAI

à Rupniew in Ianuſzewice

RUPNIEWSKI,

DEI & Apoſtolicæ Sedis Gratiâ Epiſcopi Lucèorienſis & Breſtenſis

INITIO SYNODI

Ad

Clerum & Populum.

SUbintraſtis omine dextrô indictâ accerſiti Synodo, nuper deformatam ærumnîs, nunc verò Veſtrîs etiam ſuffragijs de pulvere ſuſcitatam, à caſu erectam, principalem hujus Diœceſis Domum Matrem Eccleſiarum Veſtrarùm Fratres Chariſſimi; Ad quam convocavi Vos, non ſine neceſſitatis Officijq; mei ſtimulo, non ſine futuro fructûs Spirituális meſſilegio. Quemadmodùm enim inſignem præſtant utilitatem Eccleſiæ Sacra Concilia, Æcumenici Conventus, Provinciales Congreſſiones, ita non minora ad proportionem rei ex particularibus Synodis in profectum Diœceſium derivari emolumenta appa-

Digitized by Google

ret manifeſtè. Diu eſt rarumq; hac in Diœceſi hoſtilbûs ante armis, prædîs furoribuſq; expoſita Synodum celebrari, quæ enim vix duæ à condito Epiſcopatu memorentur, indeq; diſordo, nulla inter oves & Paſtores notitia, Parochiarum confuſio irrepſerit, an ab initio fuerit. Illicò aſſumptô iſtius Epiſcopatûs gubernaculô operoſam curam viſitandis omnibus Sacris ædibus, diſtinguendiſquè Parochiarum limitibus impendere contendi. Quòd dum Deô juvante in quinquennali Paſtoralis functionis Meæ tempore expediverim, collectam per hos Annos almam meſſem Urbi ex obligatione præſtandam præſenti Synodô perficere; & in Acervum congregare apprimè neceſſarium eſſe duxi. Officium Paſtorale, quô fungimur Fratres Chariſſimi, quàm ſit ſublime & arduum, quantùm ſit etiam Angelicis humeris formidandum onus, multis in locis tum Sacræ Scripturæ volumina, tùm Divi Eccleſiæ Doctores, tùm deniq; ipſius rei quæ Nobis ſub cuſtodiam datur ratio pretiumq; ingens inculcant Nobis, clarè edocent, diſfuſè evolvunt. Admonet Nos de Miniſterio ritè abſolvendo Ipſe ſummus Paſtor Chriſtus, Ezech 34. *Ecce ego ſuper Paſtores requiram gregem meum de manu eorum, & ceſſare faciam, ut ultra non paſcant gregem meum.* Contemplamini igitur Fratres chariſſimi, quid ſit Populo Chriſti præeſſe, & conſiderate, quàm ſit oneroſum Miniſterium, regimen Animarum. Grandis profectò dignitas Sacerdotum, *Miniſtri enim Dei, Angeli, Doctores, myſteriorum Dei Diſpenſatores, Servi Dei, Lux mundi, genus electum, Regale Sacerdotium, gens Sancta, Populus acquiſitionis*, cæteriſq; magnis titulis appellantur; ſed grandis etiam eorum ruina, ſi peccant. Penſet quilibet Veſtrûm, qui ad reſpondendum diſtricto Judici de ſua tantummodo Anima fortaſſe vix ſufficit, quomodo tot ferè ſolus Animas habendo, quot regendis ſibi Subditis præeſt, pro Animabus reſpondebit. Proindè Fratres chariſſimi, ſtudioſè Veſtræ Vocationi vacate, ambulatè in via immaculati, ut veri Dei Miniſtri efficiamini. Non ſitis ex indiſciplinata & ſcandaloſa multitudine Sacerdotum, per quos datur contemptui Venerabile Redemptoris Noſtri Sacra-

cramentum, nec qui debetis eſſe Viri Sacri, exemplari diſtincti virtute, Vicarij Apoſtolorum, Filij Petri, faciatis Vos Judæ ſocios & præambulos Antichriſti. Jnvitat Vos Chriſtus ad ſerviendum ſibi benè & impigrè, cum promiſſione eximij honoris: Joan: 12. *Si quis mihi miniſtraverit honorificabit eum Pater Meus.* Jnvito & Ego indignus gregis ejus Paſtor, Vos, meos Cooperarios ad idem obſequium Chriſti, ad ſumenda utilia Monita, ſalubria Inſtituta, percipiendaſq; pragmaticas Sanctiones, quatenùs in hoc difficillimo Paſtorali Officio, Me primum hujus Ovilis Paſtorem, in applicandis ad ſimilitudinem Artis Medicæ juxta qualitatem defectuum pro infirmorum conſolidatione remedijs me Curatorem, in expeditione belli adverſùs pravos vitiorum Cuneos, adverſumq; contrarias poteſtates Me Ducem indeficienter juvare ex animo anheletis, curratis, properetis. Interim hunc, quem, congregati in unum Apoſtoli ſumpſêre Diviniſſimum Paracletum Præſidem Eccleſiæ, iſtum in Congreſſum Numerum precibûs ſubmiſſis invitando, Corpus hoc ex Membris totius Diœceſis compaginatum Divini Muneris beneficiô animari, vegetari & gubernari opto, ſperoq; in Domino.

IN NOMINE DOMINI AMEN.
ACTORUM
&
CONSTITUTIONUM
SYNODALIUM
Diœceſis Luceorienſis & Bre-ſtenſis,

CAPUT I.
De Fide & Fidei Profeſſione.

(a) S. Carol. Borom. Orat. Provinc. 5tâ.

CUm omnis (a) *Concilij Synodalis Actio formam exhibeat Apoſtolicæ Miſſionis:* Primum eſt, ut antequàm Noſtras Noſtrarumq; Eccleſiarum Res inter Nos conferamus, in ejus oculis, Qui univerſorum corda conſpicit, Fidem Sanctam, quam Doctore IESU Chriſtô Apoſtolorumq; Magiſteriô ſuſcepimus, ſinceram inviolatamq; perferamus. Illa eſt, quæ (b) *non accepta ſed cuſtodita vivificat*; cujus in defectu Deo placere non valemus, eâq; carentes mortui & exanimes ambulamus. Hæc cùm non ſubjaceat rationi, *eſt enim ſperandarum* (c) *ſubſtantia rerum & argumentum non apparentium,* captivamus intellectum in ejus obſequium, eam tanquàm *ſcutum,* (d) *contrà omnes Hæreſes* in principio Noſtri operis Patrum exempla ſecuti prædicamus, atq; juxta præſcriptam à Pio IV. Papa formulam profitemur. Sacroſanctum & Æcumenicum Concilium Tridentinum, nè quis de ejus jàm dudum ſuſcepti receptione dubitare audeat, unà cum Bulla: *Unigenitus &c.* à S. M. Clemente XI. Papa Anno 1713. edita, cum ea, qua pareſt reverentia ſuſcipimus, admit-

(b) S. Cypr. Epiſt. 13. ad Rogat.

(c) Hebr. 11.

(d) Concil. Trid. Ses. 3.

timus

timus & recipimus. Si quem memorati Concilij Tridentini receptioni diſſentiri, aut de Conſtitutione prædicta nòn benè ſentire, vel malè loqui cogrioverimus, in eum pro Paſtorali poteſtate & juriſdictione ad Mentem Concilij Romani à Sánctiſſimo Domino Noſtro Domino Benedicto XIII. feliciter moderno in Anno 1725. celebrati, rigoroſè animaduertemus, & etiam ubi remediô efficaciori opus fuerit, ad S. Sedem Apoſtolicam omnes hujuſmodi pervicaces & Eccleſiæ rebelles deferemus. Sicut autem idem velle, idem ſentire cum Sancta Matre Eccleſia volumus, ita cum eadem uti veri illius Filij, omnes propoſitiones, aſſertiones & dogmata per S. Sedem Apoſtolicam damnata & rejecta, in præſenti Synodo voce unanimi damnamus & reijcimus, adeò, ut *ſi quis Nobis evangelizaverit* (e) *præter hoc quod à Chriſto & ejus Eccleſia accepimus, Anathema ſit.* Quapropter *ne ab Vnitatis integritate* (f) *in partes Schiſmatis abrumpamur, aut è vetuſtatis religione præcipitemur in Hæreſeon novitates*, diſtrictè præcipimus, nè quis curioſè quærat aut leviter diſputet de his, quæ ad Fidem pertinent; Verùm ſimpliciter ferventi verâq; Fide credat illa omnia, quæ credit, tenet, & docet S. Mater Eccleſia, *non* enim *poteſt* (g) *habere Deum Patrem, qui Eccleſiam noluerit habere Matrem.* Abſit ab omnibus ut quis intra convivales conſeſſus, (h) aut alios quoſvis, impertinentes ad negotium Fidei diſcurſus formare & promovere, ſcripturam Sacram, quæ humanis (i) omnibus ingenijs præferenda eſt, ſuæ innixus prudentiæ, aliter, quàm Eccleſia præcipit interpretari, verba illius ad ſcurrilia quævis, fabuloſa & vana, adulationes, detractiones, ſuperſtitiones, impias & diabolicas incantationes, divinationes, ſortes, libelloſq; famoſos detorquere, Ritum Eccleſiaſticum Ceremoniaſq;, quæ non pro libito inventæ aut irrationabiliter inductæ, ſed. ab univerſali Eccleſia receptæ & approbatæ ſunt, quantumvis leviuſculè irridere, Libros hæreticales publicè vel privatim retinere, legere, aut legendos proponere, Item Libros quoſvis de rebus Sacris ſine Nomine Authoris (l) imprimere, & antequam à Nobis examinati fuerint

(e) ad Galat. 1. v. 9.

(f) Vincent. Lyrinen.

(g) S. Augu. t. 2. de peccat. Remiſs.

(h) Conſt. Provin. de profeſſ. fidei.

(i) S. Auguſt. t. 2. de pecc. Remiſſ. cap. 23. lib. 1.

(l) Leo X. in Conc. Later. Seſſ. 10.

imprimi facere audeat & præſumat, ſub pœna excommunicationis & alijs jure contra ejuſmodi exoſos Verbi Dei temeratores violatoreſq; (quorum inſpectionem & inveſtigationem Parochis & Decanis committimus) vallatis irremiſſibiliter extendendis. Porrò cùm manifeſtum ſit, (m) ſi Sacra Biblia vulgari linguâ, paſſim ſine diſcrimine legi permittantur, plùs indè ob hominum temeritatem detrimenti, quàm utilitatis exoriri, intuitu eorum legendorum Decretum S. Concilij Tridentini in Indice librorum prohibitorum regula 4. de Lectione Sacrorum Bibliorum in eoq; Statuta hic pro recenſitis haberi & obſervari volumus & mandamus. Ad majus verò orthodoxæ Fidei cunctorum in Cordibus ſtabilimentum, inhærendo Bullæ Pij IV. Conſtitutionumq; Provincialium ſancitis, quatenus Prælati & Canonici Eccleſiæ Noſtræ Cathedralis Lucèoriensis inſignisq; Collegiatæ Olycenſis primò circa Inſtitutionem, ſecundò verò circa receptionem Sui in Capitulo, Plebani verò & alij Clerici ad Parochiales, & alia quæcunq; Eccleſiaſtica Beneficia cum Cura & ſine cura aſcenſuri, omnes pariter Presbyteri & Clerici coram Archidiaconis in Viſitatione generali, Docturi quoq; (n) Philoſophiam & Theologiam, ordinariæ prædicationis munus ſuſcepturi, etiamſi fuerint cujuscunque Inſtituti ſeu Regulæ Sacerdotes, (o) Clerici ad Ordines majores acceſſuri, Vicarij quoq; Parochorum, & Illi, quibus aliquando vacantes Eccleſiæ commendantur; Item novi Confeſſarij etiam Monialium (p) (ijq; coram Nobis) Magiſtri quoq; & Profeſſores tam Gymnaſij Olycenſis, quàm & Biaſenſis Coloniæ, Tandem circa Eccleſias quasvis Parochiales juuentutem inſtructuri, coram Nobis vel Officio Noſtro, & aliàs coram ſuo Superiore Profeſſionem Fidei faciant, Authoritate præſentis Synodi ordinamus.

(m) Concil. Trid. in Indi. Libr. prohibit. Reg. 4.

(n) Bulla Pij IV. quæ incipit: In Sacro Sancta.

(o) Concil. Rom. Anni. 1724. Tit. 1. Cap. 1.

(p) idē Cōcil. Roman.

CAPUT II.

De Doctrina Chriſtiana.

NOn ſolùm Ipſimet profiteri, verùm & propter alios doctri-

doctrinam Fidei in charitátis manſvetudine jubemur ſeminare: Ite & docete eos legitima Domini; Mandatum hoc primam à Nobis rationem exigit; Cui ſi fortè non paremus, fruſtra Vas electionis nuncupamur. Si enim (ut inquit D. Thomas) *Sacerdos quilibet* (b) *habet duos Actus, unum principalem circa Corpus Chriſti verum, & unum ſecundarium circa Corpus Chriſti myſticum*, profectó primum atq; principale munus Noſtrum eſſe debet, Populum ad juſtitiam erudire: Multos habemus, qui in rerum Fidei verſantur ignorantia, nec in plebe ſolummodò, aut ætate tenera, verùm & in cultioribus ingenijs & provectæ Ætatis hominibus iſta cernitur ſimplicitas, proindè hac Noſtrâ Conſtitutione ſub pœna ſuſpenſionis à Divinis arbitrio Epiſcoporum relicta & commiſſa (c) decernimus, ut Omnes Animarum Curam gerentes cum brevitate (d) & *facilitate ſermonis*, Dominicis diebus & Feſtis minùs ſolennioribus, qui de præcepto obſervari ſolent, ſtatâ horâ ante ſummum, ut dicitur, Miſſæ Sacrificium ſuperpelliceô & ſtolâ induti, invocató supernô lumine per Orationem *Veni Sancte Spiritus*: Maribus à fœminis ſeparatis, primùm Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum Apoſtolicum ac Præcepta Decalogi, Pentalogumq; Eccleſiæ cum Numero Sacramentorum, clarâ ac diſtinctâ voce, ita, ut audientes percipiant & vocem illorum ſequantur, recitent; expoſt verò neceſſaria neceſſitate Medij, atquè neceſſaria neceſſitate Præcepti, tum dogmata Orthodoxæ Fidei exponant ex Cathechiſmo à Nobis Typo impreſſo, pro ſingulis vicibus ſaltem tres quæſtiones & reſponſiones ſine indignatione, increpatione, exaſperationeq; minima, ſed in lenitate Spiritûs proponant, dictaq; recapitulando, adoleſcentulos ſeu pueros puellaſq; à ſeptenni & ſupra, uſq; ad decimum quartum Ætatis Annum, utrùm haſce quæſtiones memoriâ teneant interrogent, repetentes memoriter, licet non adeo benè, laudent; & coram cæteris adſtantibus deprædicent. Tandem id ut iterum repetant ſvaviter & cum encomio, aut alicujus minoris munuſculi promiſſo inducant; Præterea modum & normam confitendi, examen Conſci-

(b) S. Thom. in 4. Diſt. 34. q. 1 art. 1.

(c) Concil. Rom. Tit. 1. Cap. 5.

(d) Conſt. Prov.

B2 entiæ

entiæ quotidie faciendi, Menſam benedicendi, tribulationes Patri miſericordiarum & Deo totiûs conſolationis offerendi diligenter edoceant; Quæ vitia declinare, & quas virtutes ſectari illos oporteat, modeſtè ac cum omni circumſpectione prudentiaq; inculcent. Finitô Cathechiſmô, nè Patres Matreſq;familiàs, cujuscunq; conditionis fuerint Liberos ſuos, famulos ac famulas ad diſcendám doctrinam Cathechiſticam mittere, cum ijs preces matutinas & veſpertinas coram Chriſti vel Beatiſſimæ aut Sancti alicujus imagine dicere gráventur, ſub interminatione Divini Iudicij admoneant, ejusmodiq; admonitionem adhortationemq; ut Confeſſarij in Confeſſionibus, Concionatores verò in Concionibus notificent, ſeriò obligamus, ád eumq; effectum Vocationes Subditorum vulgò *do gromády* in diebus Dominicis & feſtis de mane, quando Populus Divinis Officijs & doctrinæ Chriſtianæ intereſſe tenetur, omninò abrogamus, & ſub comminatione punitionis Divinæ tremendiq; Judicij prohibemus, aut ſaltem ad veſperam differri volumus & mandamus. Quodſi verò Parochos aut quosvis Animarum curam habentes Sermonem ex ſuggeſtu dicere contigerit, illô finitô ut confeſſionem generalem, Actus Fidei, Spei, Charitatis, doloris de peccatis cum ſuo Auditore recitent: Non contenti tandem diligentiâ ſupradictâ, dent operam Parochi, ut in Civitatibus & Oppidis, ubi cultior Populus & exercendæ hujus tàm neceſſariæ eruditionis commoditas eſt melior, Pueri in Scholis præter alias diſciplinas pro Ætate & captu illorum proponendas, à Magiſtris etiam proprijs ſeu Baccalaureis Cathechiſmum addiſcant, eo fine verò dicti Baccalaurei in feſtivitatibus pueros ad Scholas ſuas tempore pomeridianô, ſolam nonniſi tunc devotionem & doctrinam Spiritualem Chriſtianamquè traditurі convocent, hac præſenti Synodali Conſtitutione ſtatuimus & ſub pœnis arbitrarijs decernimus.

CAPUT

CAPUT III.

De Feſtis eorumq́ violatione; Iejunijs & eorum obſervantia.

EXpreſſum licet de Feſtis & Dominicis diebus cultu debitô celebrandis Præceptum ſit, multùm tamen in eis Nonnullorum præſumit inſolentia, paſſim enim à veræ fidei Cultoribus compotationes in tabernis, ſaltationes, ludi, choreæ, & alia ejus generis facinora cum Judæorum Diſſidentiumq́ ſcandalo perpetrantur, quibus in tantam inſolentiam effuſis *laborare præſtaret*, (a) *quàm peccare; arare, quàm ſaltare*. Proindè Sancitum de Foris hebdomadalibus, Diebus Dominicis non ponendis, (b) ſed pro antecedentibus vel ſubſequentibus diebus ferialibus transferendis; Statutum quoquè Literæ Noſtræ Paſtoralis, Titulo de Foris hebdomadalibus, ſeu; *o Tárgách Niedźielnych*, innovamus, & nè quiſpiam ignorantiâ valeat ſe se excuſare, Omnibus Curam Animarum gerentibus, ut poſt Conciones, Feſta, quæ & qualia in Septimana currenti obveniant, eorumq́ Vigiliis Populo notificent, ex Ambona Parochianos, nè Feſtis diebus & Dominicis labores exerceant, vel exerceri faciant, admoneant, ſub pœnis contra negligentes injungimus, aliàs contra quoſvis Violatores Feſtorum, præcipuè CHRISTI, Beatiſſimæ, & Apoſtolorum, præter Cenſuras Conſtitutione PIJ V. incipiente: *Cùm primum Apoſtolatûs Officium &c.* & Conſtitutione Provinciali ſupra memoratâ vallatas, etiam ad alias pœnas arbitrarias procedemus, & ab ijs ſolutionem librarum centum (c) Ceræ elaboratæ Eccleſijs Parochialibus applicandæ exigemus, contrariâ conſvetudine, quæ potiùs pravus abuſus & corruptela eſt, (d) & quæ juxta Doctores poſt memoratam Pianam Conſtitutionem nequit procedere, non obſtante. Ne verò Domini in bonis proprijs, Latini & Græci Ritûs Subditos hábentes, violationi Feſtorum Ritûs Græco-Uniti occaſionem præbeant,

(a) S. Auguſt

(b) Conſt. Provinc. lib. 2. Tit. de Feriis.

(c) Prax. Archiep. Neap. Cap. 62.

(d) Bulla Pij V. que incipit. cum primum Apoſto lat' Officium.

Digitized by Google

ant, illos ab omnibus curam gerentibus ex ambona admoneri injungimus. Quia tandem in nonnullis Parochijs, præcipuè Decanatûs Camenecenſis complures homines Lithvani veteres, alias *Stárá Litwa* dicti, Ritum quidem Romanum obſervare, & juxta eundem Sacramenta in Eccleſijs Latinis percipere, Feſta tamen cum Ruthenis celebrare comperti ſunt, ut in eos Parochi ſeriò animadvertant, talem confuſionem Rituum fieri non permittant; alias Ipſos ad Nos deferant, demandamus. Intuitu Jejuniorum quadrageſimalium, Vigiliarum, aliorumquè ab Eccleſia uſitatorum, quæ *ſunt amari* (e) *ſed ſalubris ſucci aloë*, & *ſine quibus Oratio tanquàm* (f) *Miles ſine gladio*, Statutum Literæ Noſtræ Paſtoralis (titulo de eodem Jejunio) innovamus, Omnes cujuscunq; honoris & dignitatis Fideles, ut memores hujus Præcepti ſint, adſtringimus. Et cùm multi, præcipuè in Aulis Magnatum Nobiliumq; Perſonarum jejunium in Ferijs ſextis in Regno receptum temerè infringere, & non ſolùm lacticinia, verùm & carnes eô tempore manducare non reformidant, Illos idcirco in reatu peccati mortalis eſse declaramus, & nè contrarium præſumant, Synodaliter admonemus, aliàs *comedentes carnes dictis Ferijs ſextis, alijsquè diebus prohibitis ab Eccleſia, ſine neceſſitate*, atquè Jndulto Noſtro in ſcriptis penes Teſtimonium utriusquè Medici dando, *pro ſuſpectis de hæreſi* (g) *declaramus*.

(e) Drexelius lib. de jejun.
(f) S. Chryſo.
(g) Pegna. 2. Par. direct. q. 55.

CAPVT IV.

De Hæreticis, eorum Fautoribus, & ſuſpectis de Hæreſi.

VIneam Domini ſine urtica, meſſem Chriſti ſine Zyzanijs, gregemq; Nobis commiſſum abſquè ſcabra rubigine habere cupientes, nè Magiſtri erroris, qui non fuerant Diſcipuli Veritatis *virus Draconis in aureo Calice* (a) *Babylonis* propinare, iniqvum ſemen inter electum triti-

(a) Jerem. 51. v. 7.

triticum ſeminare, *fermentô peſſimô* (b) *bonam maſſam corrumpere, Chriſti* (c) *membra diſtrahere; & Catholicæ Eccleſiæ corpus unum ſcindere*, ac more *feræ peſſimæ* (d) laniare audeant: Omnes hæreticæ pravitatis cultores quocunq; Nomine vocitandos ſcire volumus, quòd *Fides Catholica in Polonia eſt* (e) *velut Domina ac Materfamilias, eorum verò ſecta hoſpes & advena*, adeoq; ut ſe eidem Fidei Catholicæ ſubjectos eſse recognoſcant, terminos metaſq; jurium ſibi permiſſorum excedere, aut extra illos etiam latum unguem progredi, indulgereq; non audeant, hac Synodali monitione, quæ pro trina valere debet (f) præcipimus. Cumq; ſuô turbine lucem Catholicæ veritatis *ſupra Petram* poſitam extingvere, aut ſaltem *ſub modio* eſse nitantur aſſiduò; juxta verò Apoſtolum, etiam inter Orthodoxos *reperiantur nonnulli, qui* (g) *ſanam doctrinam non ſuſtinentes, ad ſua deſideria coacervant ſibi Magiſtros auritûs prurientes*, præſentis Synodi Authoritate, Omnibus Prædicantibus, nè in domibus privatis Acatholicorum præten'as ſuas devotiones exercere, occaſione baptizandi vel Matrimonijs aſſiſtendi illas adire, ſine ſcitu Noſtro Fanorum poſſeſſionem ſuſcipere, in habitu Clericali incedere, *Scholas privatas* (g) *conſtituere*, vel in ejs juventutem inſtruere, aliaq; ſimilia cum præjudicio Fidei Catholicæ attentare, ſub pœna captivationis, quam per Parochos loci, ſervatâ prudentiâ exequi volumus, audeant & præſumant, inhibemus; Executionemq; *Legis Novellæ* & aliàs *Conſtitutionem* contra ſecus facientes Perilluſtribus & Admodum Reverendis Vincentio Suchocki utriuſq; Juris Doctori Prothonotario Apoſtolico, Scholaſtico Luccorienſi, Præpoſito Białenſi, Cauſarum Curiæ Noſtræ Auditori & Judici Generali, Michaëli Gaſs Luccorienſi & Varſavienſi Canonico, Decano & Præpoſito Vęgrovienſi, Inſtituti Clericorum Sæcularium in Commune viventium Præſidi committimus. Inhibemus præterea, *nè dicti Heretici Filios vel Filias ad regna Hereticorum & Provincias* (h) *mittere* ex Catholica muliere, quantò magis ex Catholico cum Acatholica procreatos Heterodoxis adnumerare, nefarijs dogmatibûs imbuere, ad

(b) 1. Corinth. 5 v. 6.

(c) S. Cypri. epiſt. 45. ad Cornel.

(d) Geneſis 37. v. 7.

(e) Joannes Węzyk ſuo tempus Confœd. Varſav. Anno 1632. in Serm.

(f) Clarus §. Fin. q. 36.

(g) 2. Thim. 3. cap. v. 3.

(g) Synod. Gembic. Luccor. cap. 2. de Schol. hæret.

(h) Conſt. Sigis. 1. in Anno 1534.

celebrandas ſecum devotiones cogere præſumant, & ſuper hoc ſubmiſſionem coram Parocho ante benedictionem Matrimonij faciant, ut, dum Ipſi per baptiſmum ad manendum in Eccleſia obligati pacem illius interturbare non deſinunt, ſaltem in filijs eorum perverſitas minuatur. Quia verò ijdem ***non Fratres ſed extranei*** (i) non in hominem ſolùm, ſed & in Deum peccantes cenſendi ſunt, Cunctos Orthodoxam fidem profitentes obſecramus in Domino, quatenus eorum doctrinam falſam averſentur, illis poſitivè aut negativè (quòd eſt contra Jus naturale, Divinum & Civile) non faveant, Fana eorum devotionis causâ non adeant, Ipſorum Ceremonijs non interſint, in obſequijs Ipſorum ullum non teneant, Filios ſcholas Heterodoxorum frequentare non faciant, idq; ſub pæna excommunicationis (k) & alijs arbitrio Noſtro reſervatis, aliàs ſecus facientes pro ſuſpectis de Hæreſi haberi, ijs in Judicio Noſtro minimè debere reſponderi, (l) Teſtamenta eorum nullius momenti eſſe, ſepulturâ carere, (m) Sepultos exhumari, & ſepelientes excommunicari volumus & decernimus. Obſecramus præterea univerſos Bonorum Hæredes in Diæceſi Noſtra conſiſtentes, ut circa Actus Venditionum, Donationum, Reſignationum, Ceſſionum, aliarumq; Juris transfuſionum memores ſint Fidei Catholicæ (n) & ſuæ vocationis ad eandem, in dictiſq; transfuſionibus clauſulam apponant: Nè novus Hæres, ſeu ſuô modô Poſſeſſor, quocunq; prætextu locare Hæreticos, atq; eos fovere audeat, & hoc in paſſu Officia quævis circa susceptionem talium Actuum ut circumſpecta ſint, requirimus. Et quia nuper recurſum fecimus ad Celſiſſimum Principem, Illuſtriſſimum & Reverendiſſimum Dominum Primatem Regni, denuntiando in hanc Diæceſim Noſtram hydram Philippicam ſectamq; irrepſiſſe, tametſi favorabile Reſponſum, & in petitis effectum ab Eodem Celſiſſimo Principe, qui extemplò ferventiſſimas Literas pro extirpanda & propulsanda eadem Hæreſi dederat ad Magnates, reportavimus; ut tamen in cæpto opere ad eradicandum hoc malum penitus non deſiſtat, verùm eo in Negotio quà literaliter, quà verbotenus

(i) Alphon. de Caſtro lib. 2. de juſta hæretic. punitione.

(k) Bulla Sixti V. & Côc. Lat. 4. cap. 5 de Hæretic. c. excommunicamus (§) Credendum.

(l) Pirhing. lib. 5. ſexter. 4. de Hæret.

(m) Jdem.

(n) Syn. Cel. Szembek Archiepiſc. Gne Tit. de Hær.

tenus cum ijsdem Magnatibus expoſtulet etiam Synodaliter ſupplicamus. Ad hunc effectum, requirimus etiam Synodaliter Reverendiſſimos Vladicas, in quorum Diæceſi inveniuntur Philippiſtæ, nè permittant Ruthenis Unitis Diæceſanis ſuis tranſire ad hanc peſſimam Sectam, quam Synodô ſuâ Metropolitanâ damnârunt. Obligamus inſuper Magnates & quosvis Dominos, ut ſi quos Subditorum in bonis ſuis Philippi hæreſim profitentes, quorum dogmata ſunt ab Eccleſia condemnata, habuerint, in eos rigorosè animadvertant, devotiones eorum publicas præpediant, & aliàs, nè malum ultra ſerpere valeat, Filios Ipſorum dogmatibûs Eccleſiæ Rômanæ imbui ac inſtrui curent, contra quos, ſi fortè in Noſtro Ritu fuerint, pœnam Excommunicationis relaxamus, majoris verò Conditionis ſectarios ejuſmodi, ad Nos deferri volumus & mandamus. Quoniam verò experimentô didicimus *quantæ cædes*, (ut inquit Conſtitutio SIGISMUNDI I.) *bonorum direptiones, quanta rerum omnium perturbatio, honeſtatis everſio, aliaq; nocumenta Regno, ob pullulantes hæreſes exorta ſunt,* mandamus omnibus Decanis & Parochis, ut de juribus & Privilegijs Fanorum intra Terminos ſuorum Decanatuum Parochiarumq; conſiſtentium indagationem (cum modeſtia tamen faciant) utrùm ante Conſtitutiones Annorum 1632. 1648. 1668. & 1674. fundata ſint, Nos Officiumq; Noſtrum informent: Præterea omnibus Hæreticorum Fautoribus, Receptatoribus & Defenſoribus quovis meliori modô perſvadeant in charitate, *ut ab hoc fautoratu infamiam grandem* tam ex Jure Canonico, quàm ex Statutis Regni *cautante* omninò abſtineant, Renitentibus & obſtinatis *Bullam Cœnæ Domini* intimari faciant, quòd ſint in Excommunicatione Papali, quodq; in quotidiano æternæ damnationis verſentur periculo exponant & enucleent, omnium Hæreticorum in ſua Parochia degentium Cathalogum de Anno in Annum connotent, in Congregationibus Decanalibus eundem Cathalogum per Decanum & Notarium Congregationis ſubſcribendum producant, tandem Nobis præſentent, taliq; modô ſciant, quas Oves ad ovile Chriſti oportet eos adducere. Cunctos in-

Digitized by Google

ſuper, quibus Eccleſiæ pax, Patriæq; tranquillitas cordi eſt obſecramus in Domino, ut quaſcunq; Perſonas *de hæreſi vehementer & violenter* (o) *ſuſpectas*, quales ſunt: contumaces in Cauſa Fidei, (p) contrahentes binas nuptias, (q) Admiſcentes Sacramenta vel Sacramentalia in ſortilegijs, (r) Divinationes cum candela, aqua benedicta, alijſq; rebus Sacris, ad ſciendum furta vel alia occulta, facientes; Blaſphemantes Deum ad levem tribulationis motum, (s) verberantes Imagines Sacras, aut circa venerationem earum excedentes. (t) Libros Hæreticorum prohibitos tenentes, eoſq; poſt monitionem Officio præſentare nolentes, (u) ad Confeſſionem non animô confitendi, ſed pervertendi Confeſſarium & ad hæreſim inducendi accedentes (w) & alij qui talia agunt vel dicunt, ex quibus oritur argumentum concludens frequenter & ut plurimùm talia facientes vel dicentes, eſse Hæreticos, (x) (quorum ſpecialis enumeratio reperitur in Praxi Curiæ Archiepiſcopalis Neapolitanenſis CAP. 23) ad Nos Officiumq; Noſtrum deferant corrigendos, aliàs *ſcientes & non deferentes* juxta Conſtitutiones Summorum Pontificum (y) *pro ſuſpectis de Hereſi declaramus*, & contra tales ad pœnas legibûs Canonicis Regniq; Conſtitutionibus vallatas procedemus. Ad extremum, cùm contingat ſæpenumerò cum Acatholicis in Jure lites agere, in ijs Commiſſarij & Plenipotentiarij Diæceſis Perilluſtres & Admodum Reverendi ANTONIUS SZASZOWSKI utriuſq; Juris Doctor Decanus Cathedralis Lucèorienſis Officialis Generalis Diæceſis Breſtenſis, & ADAMUS ORANSKI Canonicus Cathedralis Lucèorienſis Præpoſitus Vlodimirienſis eliguntur & conſtituuntur.

(o) Alphons. de Caſtro cap. 95.
(p) c. cù cont de Hær. in 6.
(q) Peg. Direct. quæſt. 46.
(r) Alphons. de Caſtr. lib. 2. cap. 15.
(s) S. Eymer. par. 2. quæſt. 41.
(t) Alph. de Caſtr. de juſta Hæret. punit. cap. 15.
(u) Bulla Pij IV. quæ inci. Dom. gregis.
(w) Sotus de Rat. tegendi: memb. 3. quæſt. 4.
(x) Symanca Tit. 30. n. 28
(y) Bull. Inn. IV. inc. noverit. & Bull. Nicolai III. incip. nover.

CAPUT V.

De Judæis.

EDidimus quidem Statuta Noſtra contra Judæos intra Diæceſim Noſtram Lucèorienſem & Breſtenſem con-

conſtitutos, eaq; Literæ Noſtræ Paſtorali inſeri curavimus, renovavimus iterum per Proceſſus varios & vel maximè per Proceſſum die decimâ Menſis Julij Annô proximè elapsô publicatum; quia tamen eorùm perverſitas intra Terminos jurium ac Conſtitutionum publicarum pervicaciter renuit conſiſtere, cuncta, quæ olim tulimus Decreta in virtute Sacrorum Canonum Conſtitutionumq; Regni publicarum firmata & fundata Authoritate præſentis Synodi innovamus, & licet *Judæis* interveniente Ordinariorum facultate, *ut veteres Synagogas* ab antiquis temporibus obtentas *reſtaurent permitti poteſt*, (a) ut tamen novas præſertim ex muro altiores vel ampliores non ædificent, (b) in una Civitate vel Oppido unam duntaxat Synagogam habeant, (c) habitu à Chriſtianis diſtinctô (ut per eum diſcerni queant) utantur, diebûs illis, quibûs ſingulariter celebratur memoria Dominicæ paſſionis in publicum non prodeant, (d) ſub tempus proceſſionum publicarum occluſas domos ac feneſtras teneant, cùm Sanctiſſimum Sacramentum Altaris circa domos illorum deferri contigerit, auditô ſonitu, quàm primùm intra eas ſe recipiant, feneſtras & oſtia occludant, præcipimus & mandamus. Et cum *Fidei Noſtræ Chriſtianæ* ſint *veri inimici* (f) pravitatiſq; illorum intentio ſuper hoc verſatur aſſiduò, ut Chriſtianorum bona ac divitias ſemper deprimant & evellant, (g) Statuimus inviolabiliter obſervandum, Judæos teloneis quibuſcunq; præfici non debere nec poſſe: Indignum & juri Divino contrarium cenſentes ejus generis homines aliquibûs honoribûs & Officijs inter Chriſtianos fungi poſſe: (h) Imò cùm perverſa Judaica perfidia ſemper eſt Chriſtianis contraria, & non ſolùm in fide & corpore, verùm etiam in direptione bonorum & facultatum attrectatione intendit nocere ſtudioſiſſimè; (i) idcircò, ut nulla telonea, metallorum, ſaliſq; fodinas ſuô alienoq; Nomine teneant. (k) quantomagis bona hæreditaria arendare, adminiſtrare, & quovis titulô poſſidere, taliterq; Filijs Liberæ præeſſe, in eoſq; dominium uſurpare, præterea Chriſtianos utriuſq; ſexûs pro ſervitore continuo in domo ſua tenere, idq; ſub Pœ-

(a) c. Conſuluiſti de Jud.
(b) c. Judæi hoc Tit.

(c) Ibidē eodem Tit.

(d) Gregor. IX. c in nonnullis. &c. Judæis hoc Tit.

(f) Caſimir Mag. Crac. Anno 1343.

(g) Idem ibidem.

(h) Sigis. I. Anno 1538.

(i) Vlad. Jagel. Conſt. Anni 1420.
(k) Sigis Aug ſub pæna ſtatuti Sigismun I. An. 1538.

na Centum marcarum contra Judæum, carceris verò contra Chriſtianum (l) Inſuper nè ſtubas & balnea Chriſtianorum frequentare, Servos, Ancillas aut Nutrices & quæcunq; Mancipia Die noctuq; in ſujs domibus retinere audeant, inhibemus; Intuituq; Conſervationis Famulorum famularumq; Chriſtianarum *Decretum Sereniſſimi òlim Ioannis Caſimiri in Iudicijs Relationum inter Præpoſitum Kovlenſem & Infideles ejuſdem Oppidi Incolas*: primum 1659. Feriâ ſextâ poſt Feſtum S. Jacobi Apoſtoli; alterum in Anno 1663. Sabbathô poſt Feſtum S. Annæ latum, quô mediante illis, nè Chriſtianos ad obſequia ſua ſivè pro Anno uno, ſivè pro quartuali ſub pœna ſolutionis Mille Hungaricalium conducere audeant, injunctum eſt *in viridi obſervantia haberi, illudquè ad omnes Iudæos extendi volumus & mandamus*, ſuperq; ijs omnibus Dominis Parochis ſeriam attendentiam & animadverſionem commendamus. Mandamus etiam ijſdem Dominis Parochis, ut à Judæis pro eo, quod loca in quibus Chriſtiani habitare deberent occupant, juxta quantitatem damni, quod ex hoc inferunt, & aliàs juxta Statutum Literæ Noſtræ Paſtoralis, ut lites exinde inter Parochum & Judæos oriri paſſim ſolitæ ſopiantur, pro Feſtis Nativitatis Chriſti, Paſchatis, ſævum pro lampadibus in dictis Feſtivitatibus accendendis pendendum repetant, quod tamen Decretum ad eos, qui in Oppido ſeu villa, in qua Parochialis exſtat Eccleſia habitánt Judæos, extendi debere decernimus. Porro Conſtitutiones Provinciales Chriſtianis in memoriam revocantes ſub pœna excommunicationis Ipſis diſtrictiùs inhibemus (m) nè Judæos vel Judæas ſecum ad convivandum recipiant, vel cum ejs manducare biberequè præſumant, aut etiam cum Ipſis in nuptijs vel nèomenijs ſaltare tripudiareq;, in una eademq; domo habitare, circa tumulos eorum manere & cuſtodiam agere, ſub Feſtivitates eorum candelas accendere, vel earum elichnum emungere, Aman perſonam gerere & quovis modô ejs inſervire, Ipſorum Azyma comedere, in eodem cum illis Convivio vel balneo verſari, continuò ſervire aut obſtetricari, Judæaſq; ad obſtetricandum aſſumere audeant,

(l) Sigis. Aug. Petric. Anno 1562.

(m) Conſtit. Provinc. lib. 4. de Judæis

ant,

ant, alias contra tales, præter pœnas in Litera Paſtorali appoſitas, etiam ad alias pro arbitrio Noſtro procedemus. Locare tamen operas ad non modicum tempus præcipuè Viris non negamus. Cùm autem juxta Conſtitutionem Sigiſmundi I. dicti Judæi non habeant liberam mercandi in omnibus rebus facultatem, inveniuntur autem nonnulli Chriſtianorum admodùm lucri cupidi, qui vinum etiam abominabiliſſimæ genti, ſuis nimirùm Arendatoribus tradunt propinandum, ſiquidem id & ſaluti Fidelium, & Sacrificijs celebrandis ſummè ſit obnoxium, idipſum omnibus tàm Secularibus quàm Regularibus Sacerdotibus & quibusuis conditionis hominibus inhibemus. Adijcimus inſuper, ut ſi quôcunquè prætextu Judæi à Chriſtianis graves ſeu immoderatas uſuras extorſerint, Chriſtianorum commercium ejs ſubtrahatur, donec de immoderato gravamine ſatisfecerint competenter. Ad extremum, quoniam ſæpè fati Judæi ceremonijs Catholicorum è diametro contrarij Feſtos & Dominicos Dies ſolent violare, in ijs potus varios conficere, ad refrenandam eorum inſolentiam, inprimis eos de ineunte Feſto per ſervitores Eccleſiarum edoceri, dumquè contumaciter Monitioni reſtiterint, ad Curiam cui ſubſunt deferri, ac tandem in defectu adminiſtrationis juſtitiæ per Dominos, Ipſos ratione violationis, Dominos verò ratione non adminiſtratæ juſtitiæ ad Judicium Noſtrum citari volumus, contra quos, uti & contra eorum Dominos prout de Jure procedemus. Succurrentes tandem Converſis ex Judaiſmo, nè alij à Fide Catholica amplectenda terreantur, adhærendo Conſtitutioni Pauli III. noviſſimè per Clementem XI. Pontificem Maximum Annô Domini 1704. ampliatæ, eos à Patria Judæorum poteſtate liberos eſse, omnia bona Sibi competentia ac priùs à Patre poſſeſſa, etiam invitis Parentibûs tenere, poſſidere, atq; ad omnia Jura ſucceſſionis pertinere debere, nec ullatenus exhæreditari poſſe declaramus. Cùm tandem abominabile Deoq; ignominioſum ſit, Domos Judæorum, quantò magis tabernas propè Eccleſias conſtrui, præterquàm enim, quòd Ipſi inimici Eccleſiæ ſint, etiam in ijs tripudia, ſaltus & cho-

reas ſæpè malemoratorum hominum inſolentiæ cum grandi offenſa Divina ſolent permittere, idcircò easdem domos in poſterum propè Eccleſiam ædificari inhibemus, in ijs verò quæ ad præſens ſunt, ſub tempus devotionis compotationes & muſicas ſub pœna ſolutionis Centum Marcarum inhibemus. Jn reliquo verò Conſtitutiones Literæ Noſtræ Paſtoralis eodem ſub titulo obſervari & conſervari volumus.

CAPVT VI.

De maleficijs & probatione Sagarum.

SOlet plerumq; fieri quòd Magiſtratus ſeculares, rudes & illiterati, mulieres ac puellas prohibitionem Juris ignorantes ex levi ſuſpicione maleficas, lamias, Sagasq; judicialiter proclamare, illas non confeſſas, nec convictas ad torturas, ſupernatationem aquarum, & alia eruendæ veritatis media, tandem ad ipſam mortem condemnare, taliterq; ſanguinem innocentem fundere non verentur: quod cùm ſummè ſit juri ac juſtitiæ præjudicioſum, nam præterquam quòd tales Cauſæ juxta Statutum Regni (a) ad Forum ſpirituale pertinentes Jurisdictio ſecularis ſibi vendicet illicitè, poteſt eſse, quinimò evenit ſæpènumerò, quòd tales mulieres vel puellæ, quædam maleficiorum ac ſuperſtitionum ſigna abſq; mortali peccato, cùm ea didicerint ab alijs credentibus eſse res optimas conficientes, innocuè profundunt ſanguinem & vitam amittunt temporalem. Ac projndè inconvenientijs ejuſmodi obviando, Magiſtratibus & quibuſvis Juriſdictionibus ſecularibus inhibemus, nè immediatam in ejusmodi Cauſis poteſtatem ſibi vendicent & prætendant, ſed tam ex ratione Fori, quàm ex eo, quòd talium Cauſarum cognitio ex ſe difficillima per Theologos & Juriſperitos venit diſcutienda, ad Nos Officiumq; Noſtrum remittant. Et cùm

(a) Statutum Regni Annò 1543.

cùm veritas ſit, quòd tales Perſonæ de maleficijs ſuſpectæ non ſunt denunciandæ, niſi priùs fuerint monitæ, idq; propter earum ignorantiam & ſimplicitatem, quæ excuſat à dolo, (b) illas priùs per Parochos loci, aut alios quoſvis Superiores moneri, quodſi poſt monitionem non ſe correxerint, tunc primùm denunciari, in cognoſcendo verò earum crimine, Proceſſum Praxis Archiepiſcopalis Neapolitanæ TIT. de Denunciat: Maleficorum CAP. 23. Necnon Proceſſum contra Maleficos Romæ primùm in Anno 1557. editum, ac dejndè Brunsbergæ in Anno 1705. reimpreſſum obſervari volumus & mandamus.

(b) Gloſſa cōmuniter recepta, in lege Plagij c. ad l. Flaviam de Plagiarijs.

CAPVT VII.

De Reliquijs, veneratione Sanctorum & Imaginibus.

SCimus quòd Nemo inter Nos ſit, qui juxta Eunomiani aut Vigilantiani prava dogmata Cultui Sanctorum adverſetur: *Omnes pariter Sanctorum Corpora* (a) *& præcipuè Beatorum Martyrum Reliquias acſi Membra Chriſti Sanctiſſima honoranda, & Baſilicas eorum Nominibus appellatas velut loca Sancta Divino cultui mancipata affectu pijſſimô & devotione fideliſſimâ adeundas credimus.* Ac proindè hoc in paſſu præſenti Synodali Sanctione nihil ſtatuimus. Sed dùm in Cathedralem Noſtram Eccleſiam Lucèorienſem pretioſiſſima Clenodia, nimirum: Jconem Glorioſiſſimæ Virginis MARIÆ Dominæ Noſtræ in igne nuper graſſante illæſam conſervatam, necnon veneranda lypsana Sanctorum VICTORIS, VICTORINI, VICTORIÆ atq; GAVDENTIÆ Virginum, prætereà SS. RECESSI Palatinatûs Volhyniæ, & JOANNIS CANTIJ totius Regni Poloniæ Patronorum, in notabilibus particulis ſolenni ritu Die hodiernâ in Corona Cleri univerſi ad Synodum congregati intulimus, eorumq;

(a) S. Aug. tom. 3. de Eccl. dogm. cap. 73.

rumq; Tutelæ renovatum opus commiſimus, dignum cenſuimus eoſdem annuâ devotione decorare. Ac proindè principalem à Cœli Terrarumq; Domina conſervationem & ab igne defenſionem exorantes, ut in qualibet Die Dominica ſecundâ Menſis Novembris *Officium de Feſto Protectionis Beatiſſimæ V. MARIÆ recitetur*, & in Directorio Diœceſano ſemper adnotetur, decernimus. Obeundæ verò dictorum Sanctorum ſolenniter quotannis à Clero & Populo in eadem Eccleſia *Commemorationis diem Dominicam primam poſt Feſtum Sanctorum Omnium aſſignamus*. Porrò æternum gratitudinis monumentum Seraphico S. Franciſci Confeſſoris Ordini, eò quòd Illuſtriſſimus òlim GEORGIUS CHWALCZEWSKI duodecimus in numero Epiſcopus ex eodem inclyto Ordine aſſumptus primus Eccleſiæ Cathedralis Luceórienſis Arciſq; Torczynenſis Fundator exſtitit, & proventus Epiſcopales auxit non modicùm, inſcribentes, Feſtum S. FRANCISCI *Confeſſoris* intra Mænia Civitatis Luceórienſis, intra verò Mænia Civitatis Ołycenſis, tàm Feſtum illius, quàm & S. ANTONIJ *de Padva* præſcriptîs diebûs, Clevani quoq; Feſtum S. BONIFACIJ Die 19. Januarij annuente Clerô & Populô ad Populum celebrari, Officium verò S. RAPHAELIS *Archangeli* Die 24. Octobris, Sanctorum quoquè FELICIS *Papæ*, cujus Caput integrum in Codnenſi Infulata Eccleſia, item SS. JULIJ, JNNOCENTIJ *Senatoris Romani*, JUSTINIANI, HILARIJ & CANDIDÆ *Virginis Martyrum*, quorum Corpora integra ibidem reperiuntur, ut in Directorio imponatur, ſubq; Ritu duplici recitetur volumus & mandamus. Præterire non valemus S. VICTORIS *Martyris* glorioſa merita, cujus Corpus integrum per òlim Celſiſſimum Principem MICHAELEM RADIVILIUM cùm legatione ad S. Sedem Apoſtolicam fungeretur, ab Urbe impetratum & in Eccleſia Białenſi repoſitum, ſiquidem in Capella ſeorſiva honorificè conſervatur, ut Ejus commemoratio ſolemniter celebretur præcipimus. Ad extremum, cùm fama Populi publica, non tantùm Magnum Ducatum *Lithvaniæ*, ſed univerſum Orbem Polonum

per-

permeavit & in dies percrebeſcit *Venerabilem* Servum Dei Patrem ANDREAM BOBOLA Societatis JESU Religioſum Pinſcenſem, in Noſtra Diœceſi Miſſionarium à rebellibus Coſacis Schiſmaticis, odiô fidei S. Catholicæ occiſum, & Martyriô coronatum, Sanctum haberi, jamq; ab Jlluſtriſſimo & Reverendiſſimo D. JOACHIMO PRZEBENDOWSKI Anteceſſore Noſtro, ſuper hac Sanctitate vitæ, Martyrio & miraculis Proceſſus ſit geſtus ac formatus, Sanctæq; Sedi Apoſtolicæ tranſmiſſus, proindè pro ejusdem Proceſſûs reſolutione & dicti Servi Dei Corporis Sublevatione, ac publico Cultui expoſititione, Sanctiſſimo Domino Noſtro D. BENEDICTO XIII. ejusq; S. Sedi Apoſtolicæ humiliter ſupplicamus. Decori tandem Sacrarum Imaginum conſulentes, cùm paſſim Imagines papyraceæ rudi penicillô per agreſtes homines elaboratæ, non ſolùm per domos, ſed & per Eccleſias circumferri, parietibus affigi ſoleant, vix tamen ſpeciem Sancti alicujus, quinimò quaſdam informes figuras præferant, eas, uti dehoneſtamentum, quàm Ornamentum adferentes, ab omnibus Diœceſis Noſtræ Eccleſijs, Cruces quoq; ex campis & itineribus deſtructas & putrefactas, convulſas & vix ſpeciem aliquam ſigni Sancti præferentes amovendas, comburendas, nec amplius publicè exponendas, verùm novas cultiores & elegantiores in locum earum conſtituendas decernimus. Quia demùm ſub hanc præſentem Synodum Religioſi Patres Ordinis Prædicatorum Conventûs Montis Sanctiſſimi Roſarij in Podkamień Diœceſis Noſtræ Lucèorienſis Literas Nobis ſub Datum Romæ in Baſilica Principis Apoſtolorum de Urbe Jndictione & Annô præſenti, ſeptimò kalendas Junij, à Reverendiſſimo Capitulo & Canonicis dictæ Sacroſanctæ Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe in pargameno ſcriptas, ſigillô penſili firmatas, manu Secretarij & Cauſarum Curiæ Capitolij, atq; ejuſdem Reverendiſſimi Capituli Vaticani Notarij ſubſcriptas, ſanas, ſalvas & illæſas obtulerunt, utq; ad executionem earundem, nimirum *ad Coronátionem Sacræ* DEIPARÆ *Virginis* MARIÆ *Imaginis* in prælibato *Monte*

Sanctiſſimi Roſarij Eccleſiæq; dictorum Patrum *in Podkamień* miraculis conſpicuæ condeſcendere dignaremur, ſupplicârunt, eorum ſupplicationi annuimus, & hoc obſequium Virgini DEIPARÆ Nos præſtituros declaramus.

CAPVT VIII.

De Scholis & juventute inſtruenda.

QUoniam ex pia ingenuaq; puerorum inſtitutione, reliqvum vitæ eorum ſolet pendere, juxta illud: *Adoleſcens juxta viam ſuam, etiam cùm ſenuerit, non recedet ab ea.* (a) Sub interminatione Divini Judicij mandamus Omnibus Parochis, præcipuè per Oppida & Civitates conſiſtentibus, ut circa ſuas Eccleſias Baccalaureos viroſq; honeſtos ac benè moratos, qui Juventutem ſaltem in Rudimentis Literarum docere, eos in ijs, quæ ad Fidem, Animæq; Salutem pertinent, inſtruere valeant, conſervent, aliàs, ſi proventus tenues, ſeorſivos Scholiregas fouere non ſinant, *Directionem Scholæ*, ac Inſtitutionem puerorum *Organarijs*, vel alijs Eccleſiæ Miniſtris *committant*, ſecùs ob ejuſmodi defectum, ſciant ſe pro arbitrio Noſtro puniendos. Et cùm *in Białenſi Colonia certus Numerus juventutis* ſtudioſæ, ſumptu Coloniæ alendæ & ſuſtentandæ per Fundatores *eſt definitus*, ad eum conſervandum Perilluſtrem Directorem obligamus.

(a) Eccleſiaſt.

CAPVT IX.

De Excommunicatione & Invocatione brachij Secularis.

CUm *Excommunicatio* multa mala afferat homini, (a) ſitq; æternæ mortis damnatio, (b) ſtatuit præſens

Sy-

Synodus, ut in ea præcipuè contra Seculares fulminanda Sacri Concil. Tridentini, Nec non Conſtitutionum Provincialium diſpoſitio obſervetur, neq; in contumaciam decernatur Monitorium non viſo robore, niſi priùs certò conſtet Judicio de perſonali intimatione ad manus excommunicandi Citationis, ſeu ſimplicis Monitorij, *cùm* enim *in excommunicatione requiratur contemptus*, qui non cadit in ignorantem, (c) juremeritò omnis Citatio excommunicationem præcedens Citato venit intimanda, aliàs ſecus obtinens Proceſſum contumacialem Actor cadat ab eo, & excommunicatus abſolvatur. In publicandis autem Cenſuris modum Sacrorum Canonum in c. Debent: 106. 11. quæſt. 3. tum à BONIFACIO VIII. in extravagan: commun. de Dec: c: unicô in fine, tùm à JOANNE XXII. eod: loc: in extravag: unica de furt: circa medium præſcriptum, obſervari; Ad aggravandum quoq; Cenſuras nonniſi tunc, quando exceſſus eſt notorius (d) & Rei non reſipiſcunt, condeſcendi volumus. Quod ſi verò Quiſpiam in Cenſuris inſordeſcere præſumpſerit (quæ tamen inſordeſcentia non incurritur, niſi lapsô Annô integrô & continuô, à Diè, quô quis fuit ſcienter & nominatim excommunicatus) (e) eum uti ſuſpectum de Hæreſi (f) ad pœnas, in Judicium Seculare citandum decernimus, eôq; fine *Magnificos Capitaneos Locorum, ut juxta Conſtitutionem Regni cum talibus procedant*, per DEI timorem obligamus, aliàs recuſantes, & *brachium ſuum Nobis præſtare nolentes*, à Nobis ad id faciendum compelli poſſe (g) declaramus.

(a) Gloſs. cōmonit. recep. in cap. qua fronte; de appellat.
(b) Gloſs. in cap. Præſenti verbô declaramus circa finē de Sent. excō in 6to.
(c) Abbas & alij in c. à nobis Henriq de Bottis de Synod. Epis. P. 3. concl. 13. Covar. in c. Alma Mater de Sent. excom.
(d) S. Congr. in Beneventana 20. Jan. 1637.
(e) Monacel. in form. leg. Pract. For. Eccl. Par. 3. Tit. 2.
(f) Pignatel. Cons. 18. n. 16. tom. 7.
(g) Decius in c. ſignificaſti. de Off. Deleg. Navar. in cap cum contiog. De reſcript. Remed. 1.

CAPUT X.

De Miſſionibus & Miſſionarijs.

CUm juxta Sacroſanctum Chriſti Evangelium ſcire omninò debeamus, quas oves *oportet Nos* ad Ovi-

 le

le Chriſti *deducere*, æqvùm cenſuimus, fructum Animarum quotannis explorare; & licet eundem præcipuè in Parochialibus Eccleſijs compertum quotannis habeamus, quia tamen *Miſſiones* variæ, & quidem *in Kowel, Polonne wielkie, Markowice, Winnica, Włodzimierz* ad effectum prædicandi Verbi DEI, reducendi Animas ab errore, ac in ijs quæ ad Vitam Chriſtianam pertinent, inſtruendi, *cum opulentiſſimis Fundationibus*, Cenſibus ac reditibus *ſunt inſtitutæ*; Quem autem fructum in Vinea Domini faciant, penitùs non apparet, idcircò *nè intentio Fundatorum defraudari cenſeatur*, fructuſq; qui ex ijſdem Miſſionibus provenire debet, depereat, pro Paſtorali Noſtra ſolicitudine, ſub interminatione Divini judicij omnibus ad hoc munus miſſionis exercendæ obligatis *præcipimus*, *ut* non contenti ſolô Miſſionariorum vocabulô ac cognomento, *munus ſuum actu & in ipſa re*, idquè *cum ſcitu & ſcientia Noſtra* & ſæpè ſæpius exerceant, *fructum*, quem in lucrandis Animabus & aliàs in Miſſionibus ſuis fecerint, *Nobis quotannis*, idq; *poſt Feſtum Sacri Paſchatis monſtrent*, ac præſentent, ſuarumq; Miſſionum Fundationis, ſi quæ non ſunt approbatæ, intra Terminum quatuor Septimanarum à Nobis approbari curent, hac Synodali Conſtitutione *admonemus*, aliàs contra negligentes, renitentes, prout Jus exigit, procedemus.

CAPVT XI.

De Indulgẽtijs, Salutatione Angelica, Oratione pro Defunctis, & Indulgentijs apocryphis.

PUblicari quidem *Indulgentias* à Sanctiſſimo Domino noſtro D. BENEDICTO XIII. Pontifice Maximo feliciter Eccleſiam gubernante Omnibus recitantibus:

bus: Angelus Domini &c. cum Salutationibus Angelicis ad pulſum Campanæ, & item recitantibus *Roſarium*, aut ejus Partem non ita pridem impertitas, Proceſſu ad id emanatô curavimus, nihilominùs ut tàm laudabilis Virginis DEIPARÆ Cultus meliús inculcetur *universis*, eaſdem Jndulgentias præſenti Synodali Decretô *commendamus*, ut ad eas lucrandas Parochi Populum adhortentur, per amorem Glorioſæ Virginis obſecramus. Porrò ſuffragari Animabus Purgatorij ex animo cupientes, juxta laudabile felicis recordationis GREGORIJ XIII. inſtitutum, ut in ſingulis Parochijs & Eccleſijs poſt primam horam ab occaſu ſolis ſignum campanæ pro Oratione pro Defunctis detur, commendamus. Quia verò magnum hodie circa Jndulgentias confuſionum chaos, maximè in vulgo, ac devoto fœmineo ſexu, qui paſſim Jndulgentias & devotiunculas vel confictas, vel omninò falſas, non ſine magna Animarum deceptione ac pernicie circumfert, comperitur; ut Confeſſarijs ac Animarum Paſtoribus liquidò conſtet, quid circa Jndulgentias conceſſum, quid vetitum ſit, & vel ſic Oves à plurimis deceptionum laqueis ſerventur immunes, ſciantq; Theſaurum Eccleſiæ non inaniter diſpenſari, Illos ad Decretum de Apocryphis Jndulgentijs per Sacram Congregationem, Jndulgentijs Sacriſq; Reliquijs præpoſitam, Romæ Die 7mâ Martij Annô 1678. Latum, pro Notitia dictarum Apocrypharum Jndulgentiarum remittimus.

CAPVT XII.

De Jubileo.

CUm diebus proximè ſequentibus vigore Brevis à S. Sede Apoſtolica ſpecialiter pro Noſtra Diœceſi conceſſi, Jubileum univerſale imminet celebrandum, monemus Omnes Parochos, ut ſe ad examen in ordine ad Confeſſiones excipiendas, coram Examinatoribus Synodalibus

G ſiſtant,

ſiſtant, præſentaneâ Approbatione non obſtante; quô quidem Jubilei tempore, etiam excommunicatus ab homine, ſi Parti ſatisfecerit, abſolvi poterit, & communicare in Divinis in Foro exteriori, ad effectum tantùm conſequendi Jubileum, & deinde in excommunicationem reincidit. (a)

(a) Pius V. Annô 1568. in declarat. perpetua pro Jubilejs relata à Gaetier. Canon. quæſt lib. 1. Cap. 2. n. 16.

CAPVT XIII.

De Vita & honeſtate Clericorum.

QUantùm & quàm incomparabile eſt munus Sacerdotum, patet vel exindè, quod eos *Cives Cœleſtes, Angelorum Superiores, Athletas validos,* (a) *Chriſti Vicarios, Columnas fidei, Civitates in monte poſitas.* (b) *Voluntatis Divinæ interpretes, Regni DEI Miniſtros, pietatis Doctores.* (c) *Speculatores Hieruſalem, Clypeos à turri David pendulos.* (d) *Cives Sanctorum* & *DEI Domeſticos.* (e) *Animarumq́ Medicos* Sancti Patres ſine hæſitatione audent appellare. Et defacto *ſic eos & non aliter exiſtimet homo, ùt Miniſtros Chriſti & Diſpenſatores Myſteriorum DEI.* (f) *ij* ſunt qui *etiam Angelos judicabunt* (g) *Nomen grande juxta Nomen magnorum qui ſunt in Terra* (h) *Regale Sacerdotium* (i) *quod licet in terra exercetur, inter tamen Cœli Officia referendum* (k) *nimis honorati ſunt, nimis confortatus eſt Principatus eorum.* (l) *non eſt ſuper terram poteſtas quæ comparetur ei* (m) ſed *quid honorum proderit titulus, ubi ipſe defecerit homo, aut quid eſt dignitas indigni humeris impoſita, quàm gemmæ moniliavè cœno ſuperſtrata* (n) Atq́ ideo neceſſe eſt, ut *omnes qui ad Sacros Ordines ſunt elevati, tantùm virtutibûs & meritis emineant, quantùm honore & culmine* (o) *Emendatiorem eſſe convenit populô, quem neceſſe eſt orare pro populo* (p) Agendum itaq́ ut *quilibet* Sacris initiatus *per bona opera certam reddat vocationem ſuam* (q) digneq́ ambulet vocatione, quâ vocatus eſt cum omni humili-

(a) S. Aug. ſer. 37. ad Fratr. in eremo.
(b) Concil. Trid.
(c) Theodor.
(d) Hierony. &. Anſelm⁹.
(e) Ad Eph. 2.
(f) 1. Cor. 4.
(g) 1. Cor. 6.
(h) 2. Reg. 7.
(i) 1. Petr. 2.
(k) S. Chryſo. de Sacer. l. 3.
(l) Pſal. 138.
(m) Job. 41.
(n) Salvian⁹ Maſſilien.
(o) Idem.
(p) Hormiſd. Papa.
(q) 2. Petr 1.

tate

tate & manſvetudine: Sint omnes tanquam *menſa de lignis Setim* (s) coram Domino puriſſima, ut Sacrificium quod Altiſſimo offerunt, fiat in oculis Ejus acceptatum. *Si perſecutiones veniunt* (t) *in ijs non deficiant, agant viriliter, & operentur bonum.* Sicut autem in moribus, ita & in habitu & in inceſſu caveant, nè nimiô faſtu ſuperbi, nevè nimiâ dejectione triſtes aut imbecilles videantur, verùm habitu longô uſq; ad pedes defluô aliàs talari utantur. Coronam aut tonſuram Clericalem deferant magnitudine Ordini aut gradui cujuscunq; congruentem, *quæ* tamen *minor non ſit Tynſone*, & totaliter appareat, ſæpiuſq; renovetur ut commodè dignoſci queat. (u) *Nemo* Clericorum Diæceſis Noſtræ etiam primæ tonſuræ, *comam* quæ frontem aureſq; tegat *nutriat*, multò minùs *perucâ utatur, ſub pœna*, toties, quoties tranſgredientur, *decem imperialium talerorum* illicò pijs operibus & locis applicandorum, necnon incarcerationis dierum totidem (w) Quam quidem inobedientiam ſciant illis totali impedimento exituram à conſecutione cujuſdam beneficij aut Officij Eccleſiaſtici cujuscunq; (x) Porrò Clerici primâ Tonſurâ initiati Privilegiô Cleri ſciant ſe ex Concil. Trid. (y) non gaudere, niſi habitum & tonſuram deferentes, eumq; habitum in Seminarijs & non alibi ſuſcipientes (z) Præcipimus verò ut nemo chartas ludere, arma cujuſcunq; generis ſive ſclopos ſivè gladios deferre Sylvaticas venationes cum Canibus exercere, Accipitres falconeſq; fovere audeat, idq; ſub pœnis præfatis pecuniarijs irremiſſibiliter exigendis. Cùm autem *Clerici* ſint *luminare majus, ut præſint nocti*, id eſt Seculo & Secularibus, idcircò familiaritatem & malam converſationem odiô habeant, *cum hominibus & cum operantibus iniquitatem non communicent* (c) *meminerint*, ut olim Judith monuit, *quòd ſint Presbyteri in Populo DEI, & ex ijs pendet Anima illorum* (d) propereaq; nemini factô vel verbô ſcandali occaſionem præbeant; quantò verò magis abſit, ut quis ex Sacerdotibus Filios *Heli*, quos S. HIERONYMUS (e) improbiſſimos & impuriſſimos vocitat, imitetur, idcircò

(s) Exod. 25.

(t) S. Aug. ſerm. 37. ad Fratr. in ereme.

(u) Concil. Rom. in Edictn de Vita & honeſt. Cler. 20. Xbris. 1724.

(w) Jdē Conc.

(x) Jdem.

(y) Seſs. 23. cap. 6. de Reform.

(z) Concil. Rom. ſupra citat.

(c) Pſal. 140.

(d) Judith.

(e) Hieron. lib. 8. Cant. gentis ad Oceanum.

unus quiſquè à Conſortijs fœminarum abſtineat, *eas domi ſuæ*, atq; *ſub unò tecto etiamſi fuerint quocunq;* demum *gradu propinquitatis conjunctæ* (f) *ſecum habitare non patiatur*, adeoq; tam ab ejs, quàm à familia domeſtica (quæ non diſcola, ſed benè morata eſse debet) ſeorſivam & diſtinctam domum teneat, imò etiam ubi cum mulieribus omninò colloquium causâ iuſtâ exigente habendum eſt, ſermo brevis & rigidus habendus eſt ſemper; nec tamen quia Sanctiores fuerint, ideo minus cavendæ, etenim *ſub prætextu blandi ſermonis immiſcet ſe viſcus impijſſimæ libidinis* (g) *Cedros Libani id eſt contemplationis altiſſimæ homines & gregum Arietes* (inquit idem S. Doctor) *ſub hac ſpecie corruiſſe reperi.* Meminerint præterea univerſi qualiter Michas Sacerdos Euphrateus, cujus Domus idolis & Arca facultatibûs referta fuerat, direptionem à Danitis paſſus eſt, omniaq; ſua violenter auferri & expilari vidit. (h) Giezi quoq; Eliſæi puer, ſed avaritiæ ſiti æſtuans, in delicti vindictam lepra percuſſus eſt, (i) ac propterea lucri & turpis quæſtûs aviditatem averſentur, quæ ut ſerpere non valeat, *cuncto Diœceſis Noſtræ Clero* aut cujusvis Ordinis Regularibus *inhibemus*, *nè* quaſvis *mercaturas*, quæſtûs, aut turpis lucri Causâ quovis colore & prætextu *exerceant*, neq; vinum alioſq; *liquores* extra Domum & Clauſtra *propinent*, imò ejuſdem quæſtus gratiâ Dominis Sæcularibus pro Factoribus, Procuratoribus, Æconomis, Commiſſarijs, Villicis cum Statûs & dignitatis Sacerdotalis dedecore ſub pœna ſuſpenſionis, à Divinis, alijſq; arbitrarijs nequaquam ſe exponant. Ad extremum atq; de cætero per viſcera miſericordiæ DEI cunctos in ſortem Domini vocatos obligamus, ut *non ſint parvuli fluctuantes* (k) *ſed firmi in via Domini & in veritate ſenſus ſui* (l) *ſint ſine macula voluntatem habentes in lege Domini* (m) *Sancti & immaculati in conſpectu ejus.* (n) ſint in cogitatione mundi, in actione præcipui, diſcreti in ſilentio, utiles in verbis, in omnes benigni, omnia conſiderantes, humilitate bonorum ſocij, erga improbos juſtitiæ zelô ſeveri (o) ſint exemplum Fi-

(f) Concil. Rom. ſupra citat.

(g) S. Aug.

(h) Jud. 17.

(i) 4. Regû. 5

(k) ad Ephes. 4.

(l) Eccles. 5.

(m) 1. Machab. 4.

(n) ad Ephes. 1.

(o) Concil. Aquisgran.

delium

delium in verbo & converſatione & charitate, in fide & caſtitate: ut ſit ejs dignitas Sacerdotij in æternum.

CAPVT XIV.

De Proviſoribus, Proviſis & Proviſionibus, nec non Ordinibus & Ordines ſuſcipientibus.

MAgna eſt Sacramenti Ordinis dignitas magnaq; hujus dignitatis præſtantia Sacros Ordines & conferre & ſuſcipere, proinde ut cum ſumma Cura, diligentia ac ſolicitudine & diſpenſari & ſuſcipi queant, nè Divinum munus indignis conferatur, aut ejus dignitas vitio ſuſcipientium minuatur, infraſcripta ex Sacrorum Canonum diſpoſitionibus, Pontificumq; Sanctionibus, partim ex Concil. Trid. partim ex Provinciali Synodo deſumpta præſenti edictô Synodali ſtatuimus, edicimus & promulgamus. Et quidem primò: Statuimus, ut *quilibet Proviſor ferat* à Decano Loci *teſtimonium* cum ſubſcriptione Notarij Decanatûs ejuſdem, *per quod conſtet eundem habere ſufficientes proventus ad fovendum Vicarium, quòdq; habeat ſeorſivam domum Vicarialem*, & quòd neceſſitas Eccleſiæ id expoſtulet. Statuimus item *ut juret quòd priores Proviſos ad ſuas Eccleſias vagos non habeat*, nec de illis ſciat, aut in eorum præjudicium alteri non provideat, Proviſoſq; etiam volentes à ſuis Eccleſijs ſine ſcitu & conſenſu Noſtro nunquam dimittet. Statuimus præterea: ut hujuſmodi *proviſiones perſonaliter non per Literas* miſſivas, idq; *coram Actis Curie Noſtræ & Conſiſtoriorum*, atq; nonniſi idoneis de ſcientia & probabili ſufficientia ad curam animarum, deq; vita moribus & converſatione honeſta benè notis, atq; etiam ex mandato Officij Noſtri priùs examinatis *inſcribantur*, inſcriptæq; ex Actis ſumptu Proviſoris depro-

mantur, & Proviſo ad manus conferantur. Quantùm autem ad Proviſos & proviſionem acceptantes, ut *quilibet illorum à Parocho ſuæ originis* aut Regente ſeminarij cui adſcripti fuerant vel à Profeſſore, ſub quo ſtudijs vacaverant *de vitæ ſuæ diſciplina moribusq́ Teſtimonium adferat* ſe baptiſatos, & de legitimis Parentibus natos doceant, *juramentumq́* ſolitum *ſuper proviſionem ſuam præſtent*, & ante omnia *profeſſionem Fidei faciant*, in Seminarioq́ conſtanter ac ſine interruptione ſaltem per Annum integrum perſeverent ordinamus. Et quia nonnulli domicilium per juramentum ſuper Diæceſi ſortiri conſveverunt, nè modus hic ſortiendi domicilij ſeu Diæceſis irrepere aut irrepſiſſe aliquomodò videatur, ut Conſtitutio felicis recordationis INNOCENTIJ Papæ XII. Anno Jncarnationis Dominicæ 1694. Pridiè Nonas Novembris lata omnino obſervetur, volumus & mandamus. Porrò ad majores Ordines promovendi aliquô Die ante examen ordinandorum, Nos Ordinarium Loci vel Noſtros Vicarios generales adeant, exponendo ſuum Nomen, Cognomen, Patriam in qua ſit aliquis natus; ubi domicilium habeat; Ut ante ordinationem unô Menſe Ordinandorum Nomina, Cognomina deſideria à Parochis, vel ab ijs quibus Nos vel Vicarij Noſtri generales, commiſerimus publicentur, juxta formam inſcriptam, in Eccleſijs ex ambona ad ſingulos Ordines temporibus infraſcriptis: Videlicet: Si ordinandi voluerint ordinari Sabbathô poſt Dominicam primam quadrageſimæ, publicentur hæc banna Dominicâ Septuageſimæ, ſi velint ordinari Sabbathô ante Dominicam Paſſionis, vel Sabbathô Sanctô, publicentur Dominicâ ſecundâ quadrageſimæ, ſi verò ordinari velint Sabbathô ante Feſtum SS. TRINITATIS, publicentur Dominicâ tertiâ poſt Paſcha, ſi verò ordinari velint, Sabbathô poſt Feſtum S. MATTHÆI, publicentur prædicta banna Dominicâ tertia Auguſti, ſi deniq́ ordinari velint poſt Dominicam tertiam Adventûs, publicentur Dominicà tertiâ Novembris; Diebus autem alijs nullatenùs publicentur, niſi ex ſpeciali facultate Noſtra vel

Vica-

Vicarij Noſtri generalis alicujus Perſonæ extra tempora Ordinandæ. Ut Ordinandus ferat Teſtimonium à Parocho, vel ab eo cuj à Nobis commiſſa erit publicationi prædictæ Cura, in quo teſtificetur publicationem fuiſſe tali Dominicâ, Nomen, Cognomen, deſiderium ordinandi, impedimentaq; infra connotata fuiſſe ex ambona Populo propoſita & valvis Eccleſiæ affixa, nullumq; compertum eſse impedimentum. Et præterea: exprimatur ibi quàm frequenter ordinandus confiteri, Euchariſtiam ſumere conſveverit, an ſobrius, honeſtæq; converſationis ſit, & nil de eo mali audiatur, & hujuſmodi Teſtimonium clauſum DD. Examinatoribus præſentare teneatur. Ut *ordinandus priùs ſe exerceat in unoquoque Ordine*, præcipuè ij, qui ad Curam Animarum ordinabuntur, etiam *in traditione Doctrinæ Chriſtianæ & prædicatione Verbi Divini*, in hoc enim Caſu probationis gratiâ Clericis Minorum Ordinum aliquoties publicè in Eccleſia concionandi coram ſujs futuris Proviſoribus licentiam concedimus, hujuſmodi verò facti exercitij & habilitatis ad cathechiſandum & prædicandum Teſtimonium dabunt. *Nemo ad Curam Animarum* Proviſus *admittatur* ad Presbyteratum *niſi* priùs *bienniô Theologiæ Morali operam dederit*, & deſuper teſtimonium hujuſmodi ſtudij cum profectu ſufficienti à Profeſſore ſuo attulerit, in quo Profeſſorum Conſcientiam oneramus, ipſoſq; Proviſos in Domino hortamur ut illi vel maximè doctrinæ ſedulam navent operam, quæ utilitati & regimini Animarum profutura eſse dignoſcitur ex præſcripto Canonum. Cantum Gregorianum & lectionem cum obſervatione quantitatis Sancti Patres & Canones ſummoperè commendant, quapropter Ordinandi ſeriò de his examinabuntur, in quibus deficientes, ſciant ſe reijciendos eſse. Jn reliquo ut tam Proviſores quàm Proviſi Ordinandiq; Conſtitutiones Noſtras in Litera Paſtorali ſub Titulo de Proviſionibus & temporibus Ordinandorum, necnon ſub Titulo de Ordinibus & ordinandis expreſſas punctualiter & Sacroſanctè obſervent, nec ab ejs vel latum unguem diſcedere audeant præcipimus.

 CA-

CAPVT XV.

De Reſidentia DD. Prælatorum & Canonicorum circa Eccleſiam Cathedralem, & Diſtributionibus quotidianis.

CUnctorum in hanc præſentem Synodum in Spiritu Sancto congregatorum fidem & conſcientiam appellamus, quem ſtatum, quamvè faciem Eccleſiæ Cathedralis Lucèorienſis Sponſæ Noſtræ in primo Ingreſſûs Noſtri in Cathedram limine deprehendimus, quantúm toti fabricæ flamma igniſq; horribilis in Anno 1724. ruinæ ac deſolationis intulit, adèò, ut exuſtis etiam parietibûs ſola non niſi favilla remaneret. Lugubrem attamen ac omni penitus internôq; decore deſtitutam diu tolerare nolentes, extemplo reparandæ ejdem operam adhibuimus: Impenſis Noſtris pro modulo & poſſe Noſtro factìs, Venerabile Capitulum Noſtrum Lucèorienſe bis ſex millia appoſiturum ſe declaravit, ex quibus ſex perſolvit & enumeravit, & quia tanta & tam grandis impenſa non ſuffecerat, *ſubſidium charitativum jure ad id ſuffragante, indiximus* (a) atq; ab univerſo Clero exigendum decrevimus, ſicq; dictam Cathedralem Noſtram ſuo Nitori reſtitutam, die supernâ Vigeſimâ ſcilicet Menſis Octobris Annô nunc currenti conſecravimus. Sed ut & inpoſterum ſuis fulgeat honoribûs, imprimis Decretum Concilij Tridentini Seſſione 24. de Reform. DD. Prælatis & Canonicis in memoriam revocamus, Ejſq; *Reſidentiam circa Cathedralem* non obſtantibus quibusvis privatis ſtatutis, uti Decretô reformationis caſſatis & annihilatis, ſub pænis non tantùm Carentiæ diſtributionum, verùm etiam alijs gravioribus in Sacro Concilio memorato deſcriptis, à Nobis irremiſſibiliter irrogandis *injungimus.* Quodſi verò ali-

(a) Barbos. alleg. 82. n. 31.

aliquem ex Prælatis & Canonicis ultra tres Menſes à Jure conceſſos in Anno aliquo abſentari neceſſitas poſtulaverit, ut *non aliter, niſi, expoſitâ prius Nobis Cauſâ & neceſſitate, obtentâq; in ſcriptis à Nobis Licentiâ ſpeciali, ſese abſentet* decernimus. Cùm autem conſtet Diſtributiones quotidianas eſse Cenſum laboris diurni ab Eccleſia ſolis Divinis Officijs intereſſentibus ac reſidentibus debitum, illas manutenendo, ut Reſidentes & Divinis Officijs intereſſentes ſuas habeant ex ijs Conſolationes, prout clarè edocet Concilium Tridentinum Seſs. 24. Cap. 8. de Refor. quod tàm ſtrictè illas obſervari præcipit, ut ſi non fuerint ſufficientes vel ita tenues ut veriſimiliter negligantur, Epiſcopis ex fructibus Canonicatuum ſeu Præbendarum detrahendæ tertiæ Partis, augendarumq; earundem dederit poteſtatem; Ordinationem earum diſtributionum ſufficienter ab Jlluſtriſſimis Prædeceſſoribus Noſtris factam, ut nimirum ex Maſſa pro ijs diſtincta & ſegregata floreni Centum ſeptimanatim inter præſentes dividantur, Ordinationem quoq; Jlluſtriſſimi òlim ALEXANDRI WYHOWSKI Epiſcopi Lucèórienſis itidem Prædeceſſoris Noſtri in omnibus ſuis punctis reaſſumendo & approbando, habitâ potiſſimùm ex indagatione Summarij Jnſcriptionum ac Cenſuum informatione, & eô perſpectô, quòd Cenſus Maſſam concernentes majori in parte ſunt per Capitulum vindicati quàm òlim fuerant, ſtatuimus & decernimus Summam quinquè Millium ducentorum florenorum ex Maſſa Capitulari pro diſtributionibus quotidianis deſtinandam eſse, uti quidem deſtinamus & exdividimus, ex qua ſingulis Septimanis *inter* DD. *Prelatos & Canonicos reſidentes actu*, ac in Eccleſia hâc ſeptimanâ in ſtallis ſujs rochetatos *Diviniſq; Officijs intereſſentes* pro ratha unius cujuſq; diei computanda, non excluſis tamen ijs, quibus etiam abſentibus, utpotè in Negotijs Capitularibus miſſis, Deputatis ad Tribunal Regni, infirmis, non excluſo quoq; Cæco, de Jure, quotidianæ currant diſtributiones, & *floreni Centum exdividantur.* Præterea DD. Prælatos & Canonicos Cathedrales, ut memores obli-

I gationum

gationum ſuarum, eas ſacroſanctè obſervent; horis Canonicis ſilitô tempore præſentes adſint, Capitula ſtatis temporibûs celebrent, *Decreta Noſtra reformatoria* Actis Capitularibus ut ſperamus inſcripta & inſerta finaliter exequantur adhortamur. Venerabili quoq; *Capitulo* inſignis *Collegiatæ Olycenſis*, ut pariter Decreto Noſtro reformatorio ſatisfaciat intimamus & reſpectivè demandamus. Obligamus etiam Perilluſtrem D. Decanum Lucèorienſem ut pro munere ſuo Divinis Officijs per Vicarios Cathedrales celebrandis rigorosè & cum ſeria animadverſione attendat, nè opus Dei fiat negligenter invigilet, aliàs rem brevibûs concludendo, ut juxta præſcriptum prælibatorum Reformationis Decretorum Se gerant in omnibus præcipiat. Similiter etiam ut Reverendiſſimus D. Præpoſitus & Jlluſtris Cuſtos Olycenſes præmiſſorum ſint memores ordinamus, dictoſq; Vicarios tam Cathedralis, quàm Collegiatæ Eccleſiarum ut ſe ad mentem Decretorum Noſtrorum gerant admonemus, aliàs diſcolos, præcipuè vero Divina Officia indevotè celebrantes pœnam ſuſpenſionis (b) non evaſuros declaramus.

(b) Gloſs. in Clement. cupientes, verbô ſuſpenſi de pœnis.

CAPUT XVI.

De Reſidentia Parochorum.

NOverint omnes Parochialium Eccleſiarum Rectores ijq; quibus cura Animarum eſt impoſita, ſe ad Reſidentiam perſonalem circa Beneficia eſse obligatos, nec ab ea ſtudijs, intemperiè àeris (a) peſte (b) infirmitate, ſenectute vel litigijs (c) poſse excuſari: Quapropter ſub interminatione Divini Judicij obteſtamur ſingulos, aut admoventem Sacroſancti Concilij Tridentini Seſs. 23. de refor. Cap. 1. Curam Animarum ſibi commiſſam ſedulò ac diligenter obeant, nec ex Cauſa cujusvis neceſſitatis juſtô tempore ſine licentia Noſtra ſese ab Eccleſia abſentare audeant, alias *ſecus facientes, præ-*

(a) Ugolin. de Offic. Epiſ. cap. 15. §. 3.
(b) Deciſs. io Mediol. 10. Xbris 1526. inſtaore S. Carolo.
(c) Zerolius. in Prax. Epis. Par. 1. verbo Reſideo. §. 9.

ter

ter reatum peccati mortalis, ſciant ſe pro ratha temporis abſentiæ fructus beneficij amiſſuros (d) & Nos ſi & inquantum tempus abſentiæ tres Menſes exceſſerit prævia monitione & prout de jure ad privationem (e) proceſſuros. Nè tamen & Vicarij, Commendarij vel Altariſtæ id ipſum præſumere audeant, Ipſos duobus vel tribus diebus ſine juſta cauſa ab Eccleſia abſentes, pœnam ſuſpenſionis à Divinis ipsò facto incurrere declaramus.

(d) Concil. Trid. Seſs. 23 de Reform. cap. 1.
(e) Barbos. de Offic. & poteſt. Par. c. 8. n. 75.

CAPVT XVII.

De Pluralitate Beneficiorum.

OBſtitimus quidem in ipſo ſuſcepti Epiſcopatûs Luceórienſis & Breſtenſis limine pravæ nonnullorum plura Beneficia poſſidentium cupiditati, dùm per Noſtram Literam Paſtoralem adhærendo Concilio Tridentino diſpenſationes ſuper retentione plurium Beneficiorum intra quatuor Menſes Nobis præſentari, & nonnulla Beneficia ſequeſtrari præcepimus, nè tamen abuſus hic jam ſublatus caput erigat præſenti Synodô Statuta deſuper Literæ Paſtoralis innouamus.

CAPVT XVIII.

De Reſignationibus.

CUm deſolationem Eccleſiarum proventuum diminutionem, rerum tàm ſupellectilis Eccleſiæ, quàm Inventarij Domûs Plebanalis interitum cæteraquè præjudicia paſſim pullulare ex hoc, quód Reſignationes ſine ſcitu & conſenſu Ordinàrij aut clandeſtinè coram Notarijs Publicis fieri ſoleant, conſpexerimus, ijs occurrendo, *Omnes Reſignationes* ejuſmodi, *præterquam quæ co-*

ram Nobis Officioq́; Noſtro generali ex cauſis in Conſtitutione PIJ V. Papæ de ſcriptis *factæ fuerint, irritas declaramus,* easquè non priùs quàm Decani Rurales Ædificia templi & Domûs Plebanalis ſarta tecta relicta eſse Nobis retulerint recipi, idq́; prævió juramentó in forma juris præſtando volumus & mandamus, aliàs fructus Reſignantem concernentes ſequeſtrandos, & pro reſtauratione deſolatorum convertendos decernimus.

CAPVT XIX.

De Vicarijs & Tranſeuntibus ad aliam Diœceſim.

AUdivimus querelam Nonnullorum quód eorum Vicarij diu circa Eccleſiam, cujus ſunt proviſi morari, munia ſua diligenter obire nolunt & recuſant. Cujus rei Cauſam perpendentes intelleximus eſse non aliam, quàm quód Parochi accidentia quæ Vicarijs ceſſerant cum ijſdem dividunt, & juxta obloquentiam inſcriptæ Proviſionis renuunt ſatisfacere. Quocirca nè illis recedendi occaſio præbeatur, monemus omnes Parochos, quatenus ultra Jnſcriptionem conſvetæ annui ſalarij quotæ, quæ florenos 200. debebit excedere, cum ſujs Proviſis etiam manualibus ſuper congrua Ipſorum ſuſtentatione privatas conventiones ineant, eaſdem ad ſcripturas redigant, vel id ipſum in Proviſione exprimant, Conventionemq́; ſeu nexum Proviſionis non formam ſtylumq́; Curiæ duntaxat eſse aſserendo, ad amuſſim expleant. Cujus quidem proviſionis ac cóngruæ ſuſtentationis intuitu ſatisfacti Vicarij Munia & Officia ſua diligenter obire, Proviſori ſuo in omnibus licitis & honeſtis parere, & antequam ad Beneficium Eccleſiaſticum quodcunq́; cum Jnſtitutione obtentum promoti extiterint, ſaltem biennio circa ſuam Eccleſiam Proviſionalem manere, ejdem pro debito Offi-

cij inſervire ſub pœna ſuſpenſionis & amiſſionis ejuſdem Beneficij, alijſq; arbitrarijs tenebuntur. Et nè contingat eoſdem deſertis ſuis Titulis Canonicis, ad quos ſunt ordinati, clandeſtinè in alias Eccleſias vel Diæceſes tranſmigrare, contra talia præſumentes, pœnam ſuſpenſionis ipſô factô incurrendam decernimus, & vallamus; quam quidem pœnam etiam contra eos, qui alienos Proviſos ſine Noſtra Proviſoriiq; ſcientia & conſenſu, aut alterius Diæceſis Presbyteros (a) ſine teſtimonialibus vel dimiſſorijs ſui Ordinarij in ſcripto obtentis ad Divina celebranda, multò magis ad Vicariatus & Beneficia quævis recipere audent, extendi volumus ac præſenti Synodali declaratione conſignamus.

(a) Concil. Trid. Seſs 23. c. 16. de refor

CAPVT XX.

De Vicepræpoſitura Breſtenſi.

FEcerat quidem Jlluſtriſſimus GOMOLINSKI Epiſcopus Lucèorienſis in Anno 1602. Die 22. Januarij diviſionem ſeu ſeparationem proventuum Perilluſtris Præpoſiti Breſtenſis à proventibus Vicepræpoſiti Loci ejuſdem, & ut Canonicè quilibet Vicepræpoſitus inſtitueretur perpetuâ Sanctione definivit; verùm cùm id hactenus non extitit practicatum, Nos ejus Statutum innovamus & ſuper hoc Jnſtrumentum authenticum cum deſcriptione Omnium redituum, bonorum ac proventuum obligationumquè confecimus, ſed ut Actus ejuſmodi firmius ac validiùs conſolidetur, eum præſenti Synodo confirmamus & ratificamus, augendoq; ſæpè fati Vicepræpoſiti proventus ac reditus, *ejſdem Eccleſiam* (S) *Spiritûs in Suburbio Breſtenſi ſitam* cum omnibus ſuis fructibus *incorporamus* & inviſceramus. Obligantes Reverendiſſimum D. Præpoſitum ut laudabilem intentionem ſuam in reſtituenda, reſarcienda ſeu novitèr conſtruenda Fabrica Eccleſiæ Præpoſituralis Breſtenſis ad executionem & effectum deducere non renuat, quô factô Conſerva-

tionem ſartorum tectorum Vicepræpoſito Loci ejuſdem ex Clericis in Commune viventibus eligendo, & à Reverendiſſimo Præpoſito præſentando incumbere debere declaramus. Ut autem memorata Præpoſituralis Eccleſia Breſtenſis majus in Divinis celebrandis habeat incrementum, *Seminarium Clericorum Secularium in Commune viventium circa eandem erigimus,* pro ſuſtentandis tribus Clericis *proviſionem à Summa Decem Millium in Bonis Noſtris inſcripſimus,* eoſdem ſimili ut in alijs Seminarijs diſciplinâ inſtrui, ac pietate & doctrina imbui volumus.

CAPUT XXI.

De Recollectionibus annuis.

QUanti momenti ſint recollectiones annuæ vix dici poteſt, ſolitudo ſunt, ad quam humanus animus rerum temporalium abreptus turbine, dum deducitur, ineffabili quadam abſorptus dulcedine ad eum qui finis omnium eſt reducitur: Svaviatur in DEO ejuſqꝫ in amore relaxatus unicum occinit: *Ego Dilecto meo, & ad me converſio ejus* (a) Ibi mutua Animæ humanæ cum DEO colloquia: *Ducam* (inquit Dominus) (b) *eam in ſolitudinem & loquar ad cor ejus. Et verè loquitur ad cor ejus, cum conſolationes Cæleſtes* (c) *in meditationibus inſtillat.* Proinde Conſtitutionem imprimis Witwiccianam Luceorienſem (d) Noſtramqꝫ in Paſtorali Litera (e) reaſſumendo, dictas *Recollectiones* per univerſum Clerum *quotannis toto octiduo* idqꝫ tunc, dum pro obtinenda approbatione ad Confeſſiones erunt acceſſuri *faciendas decernimus,* & ijs licet peragendis niſi Collegia Patrum Societatis JESU & Domos Patrum Miſſionariorum aſſignavimus, ex ratione quòd illis ſpecialiter Indulgentiæ à PAULO V. (f) & ab ALEXANDRO VIII (g) pro abſolventibus Exercitia ſpiritualia conceſſæ ſunt; quia tamen nonnulli nimis diſperſi

(a) Cantic.

(b) Oſeæ 2.

(c) Ribera relat. à Nigrono Tract. 6. Aſcet. Cap. 7. in fine.

(d) Tit. de Recollect.

(e) Tit. de Pœnitent.

(f) Anno 1600. Die 23. Maij per Bullam quæ incipit. Romanus Pontifex.

(g) Anno 1657 Die 12. 8bris per

ſi ſpiritu, quærunt ubi non tam ſpiritui, quàm paſſionibus indulgeant, nè opus Dei fiat negligenter, ſingulis Decanatibus, & quidem Vlodimirienſi & Dubnenſi, Collegium PP. Soc. JESV Luceorienſe; ZaſſavienſiCollegium Soc. JESV Oſtrogienſe; Zbarazenſi Collegium Soc. JESV Cremenecenſe; Cremenecenſi Collegium Societatis JESV Luceorienſe; Braclavienſi Collegium Societatis JESV Winnicenſe; Janovienſi, Camenecenſi & Szerezovienſi Seminarium Janovienſe vel Domum Clericorum Secularium in Commune viventium Camenecenſem, item Collegium PP. Societatis JESV Breſtenſe, Conventum PP. Reformatorum Bialenſem & Cartuſiam S. Crucis in Bereza. Loſicenſi & Drohicienſi Collegium Soc. JESV Drohicienſe, Domumq; PP. Miſſionariorum Siemiatycenſem; Vęgrovienſi Domum Præpoſituralem vel Conventum PP. Reformatorum Vęgrovienſem pro Loco dictarum Recollectionum abſolvendarum deputamus, alijs in locis abſolutas Nemini ſuffragandas eſſe declaramus, proq; faciliori Recollectionum methodo *Locutionem ad Cor Dei* per P. Danielem Pawłowſki Soc. JESV conſcriptam commendamus. Bull. quæ incip. Cum ſicut Nobis &c.

CAPVT XXII.

De Clericis Secularibus in commune Viventibus circa Eccleſiam Camenecenſem.

RESpiciendò curam & ſollicitudinem Clericorum Secularium in Commune viventium circa Eccleſiam Parochialem Camenecenſem & Animas Fidelium inibidem exiſtentium, præcipuè verò, quòd ſummas varias ad quinquaginta Millia florenorum Polonicalium aſcendentes pro ſuo Inſtituto illic auxerint, Eccleſiasq; ædificaverint, *Incorporationem cæteraq; Iura* per Illuſtriſſimum olim JO-

ACHIMUM PRZEBENDOWSKI Prædeceſſorem Noſtrum *ejs data* approbamus & *Synodaliter confirmamus.* Jnſuper *Vicariatum perpetuum Eccleſiæ Parochialis Camenecenſis* cum ſuis reditibus, eum ab antiquo concernentibus, *ita* tamen, *ut Vicarius à Perilluſtri Decano Lucèórienſi ex ijsdem Clericis præſentetur, hiſce Clericis* Secularibus in Commune viventibus *incorporamus* perpetuò & in ævum.

CAPVT XXIII.

De Seminarijs, eorum Rectoribus atq; Proventibus.

TRina Diæceſis Noſtræ Seminaria, & quidem primum Lucèórienſe, per Jlluſtriſſimum olim ALEXANDRUM WYHOWSKI antecedaneum Epiſcopum, ſecundum Olycenſe, per Celſiſſimos Principes RADIVILIOS & Reverendiſſimum olim ZAJERSKI Lucèórienſem Suffraganeum, Tertium Janovienſe, per Jlluſtriſſimum olim STANISLAUM WITWICKI itidem Prædeceſſorem Noſtrum fundatum, ut ſuo conſerventur in Ordine, imprimis Admodum Reverendos eorum Regentes, ſcire volumus, quanto oneri humeros ſuppoſuêre: nimirum Electi populi ſuô tempore in lucem gentium exponendi curam ſuſceperunt ac regimen. *Cum* itaquè *Adoleſcentûm Ætas* (a) *Niſi rectè inſtituatur, prona ſit ad Mundi voluptates, & niſi ad pietatem religionemq; informetur, in omne vitiorum genus prolabatur*, Idcircò ut omnem conatum in inſtruendo, ſivè per ſe, ſivè D. D. Vice-regentes in omni virtute, Amore Dei, & obſervantia legis ejus, profectu in ſtudijs, boniſq; moribus, Clero ſibi commiſſo adhibeant, adhortamur. Frequenter & cum omni diligentia ac perſpicacitate mores motusq; animi conſiderent Clericorum, probentq; ſtudiò cujus ſpiritûs ſint, cujus virtutis & ſcientiæ, in quonam magis fervor Eccleſiaſticus præcellat zelusq;

(a) Concil. Trident. Seſs. 23. de Refor. Cap. 18.

zeluſq; Divinorum; ut cùm eos ad operandum in Domo Domini deputare mittereque contigerit, ſciamus cui rem Divinam committere valeamus, nè adverſâ informatione ſeducti ſerò oleum & operam in ijs perdidiſſe doleamus. Clericos ad ſeminarium venientes, quô quis illorum tempore acceſſerit fideliter connotent, Nomina eorum & Cognomina deſcripta & in tabula appensa in ſuis vel D. D. ViceRegentium Cubiculis tum & in Refectorijs habeant, Officia inter illos diſtribuant, ac ut unusquisq; ſuum munus diligenter obeat ſeriò attendant & invigilent. Nè tempus rebus neceſſarijs utile minùs neceſſarijs conſumatùr, dictorum ſeminariorum Alumnis elucidationes Controverſiarum de fide cum Hereticis, (b) *Caſus Conſcientiæ*, prædicandi Verbi Dei rationem, adminiſtrandi Sacramenta methodum *tradant*, ijs ad diſcendum: Præterea ad Cantum choralem, computum & Ceremonias Eccleſiaſticas Ipsos applicent, alias in impendendo rebus Illos concernentibus tempore, tabulam faciendorum à Nobis propoſitam per Illos obſervari curent. Quia verò certus Numerus Clericorum in Seminario Ianovienſi fovendorum per Fundationem Witwiccianam non eſt deſignatus, reditibus ejusdem circa Actum Viſitationis liquidatis, conſideratis expenſis, quæ in Beneficio Łoſicenſi & Hadinovienſi tùm & Hospitali ibidem in Łoſice ſito D. Regens ſolet facere, túm quoq; habitâ ratione onerum circa rem familiarem, Curam Domûs Familiamq; domeſticam ſufferendorum etiam in Bonis *Hadynow & Klonowiczka Clericos in eodem ſeminario ad minimum octo foveri debere decernimus.* Noverit etiam D. Regens Seminarij Ianovienſis ſe ad ſuſcipiendos fine faciendorum exercitiorum Spiritualium Parochos Præpoſitos Vicarios aliosq; Clericos Seculares eſſe obligatum, adèóq; ſi quando illos venire contigerit eos libenter ſuſcipiat, adhærendoq; Fundationi Seminarij rationem proventuum eorum habeat, ab opulentioribus competens, à pauperioribus diſcretum *gratiale* (quod tamen *florenos ſex excedere non debet*) accipiat; minùs autem habentibus juxta Sonantiam Fundationis ſuſtentationem gratis & pro

(b) Conſt: Provinc:

L Deo

Deo præbeat. Volumus præterea ut Clerici ad ſeminarium venientes ſaltim unô Annô integrô in Seminario habitent, nec per loca varia titulô quopiam etiam Feſtorum Nativitatis vel Paſchatis à Seminario divagentur, niſi expoſitâ Nobis ſeu D. Regenti neceſſitate rationabili. Quodſi verò eos ordinari contigerit, ſe non priùs quàm in Seminario per ſex ſaltem Menſes continuos commorati fuerint noverint ad Ordines promovendos, ad quos, ut nullus ſine legitimo Titulo accedere, inpoſterum verò ad Eccleſiam aliquam, tantò magis ad aliam Diœceſim tranſire præſumat ſub pœna Suſpenſionis ab exercitio Ordinum & miniſterio Altaris Ipſô factô incurrenda præcipimus. Cùm autem circa Cathedralem Eccleſiam Wyhovianæ Noſtræq; Fundationis Seminariſtæ ſint conſtituti, *Noſtros Diœceſis præſentis juratos* nec ampliùs mutare habitum, *Fundationis verò Wyhovianæ Alumnos quôvis tempore* de ſeminario *abſcedere*, ſalvâ reſtitutione & reſarcitione impenſarum *poſſe declaramus.* Ad extremùm, cùm omnium Seminariorum Rectores & Præfecti, ſint fideles Diſpenſatores Bonorum ſpiritualium, ut Regeſtra proventuum & expenſarum benè conſcripta habeant, quotannisquè Nobis Rationem reddant ſub pœnis arbitrio Noſtro reſervatis injungimus.

CAPVT XXIV.

De Sepulturis, Quarta Parte Funeralium, Accidentijs Parochorum, Taxaq; eorundem.

QUòd Funera Mortuorum in Parochialibus, in quibus Vivi Sacramenta perceperant fieri debeant, licet juribus Canonicis piè ac laudabiliter ordinatum, non tamen electioni Sepulturæ aut Sepulchra Patrum (in quibus & Iacob ſepeliri voluerat) (a) habentibus, per id dero-

(a) Genes: 41.

derogatum. Sed quia agreſtes inter homines impius mos abuſusq; abominabilis ab immemorabili tempore eſt introductus, Corpora ſcilicet Defunctorum in campis, agris, nemoribus tumulandi, cum nec Ordinatio GEMBICCIANA Synodalis Lucèorienſis eum tollere, nec Nos Inhibitionibus Noſtris per Proceſſus eo Nomine editos extirpare potuimus, præſenti Sanctione Synodali ſtatuimus, ut ſi quis poſthac à publicatione hujusce Decreti (quod per Parochos Populo publicari volumus) Corpus demortui in Campis vel Nemoribus ſepelire præſumpſerit, Nobis vel Officio Noſtro deferatur à Communione Fidelium ſegregandus: juſtùm enim eſt eum, qui talem Mortui à Matre Eccleſia diviſionem fecerit, à Communione viventium ſeparare. Verumtamen quoniam ut plurimum abuſus iſte ob depactationem fieri præſumitur, dùm Parochi plùs juſtô pro Officijs à Parochianis exigunt & extorquent, nè rixis averſioniq; Parochianorum ab Eccleſia cui ſubſunt alijsq; inconvenientibus occaſio præbeatur, ad tollendam de Sacerdotum avaritia opinionem peſſimam, Taxam obventionum Parochialium in Litera Paſtorali expreſſarum (b) quæ præcisè ad ſolos Epiſcopos ſpectat facienda (c) obſervari, *miſerabiles* tamen *Perſonas* ac ſumptibus funeris deſtitutas ex pietate Chriſtiana *gratis ſepeliri* & hiſce Officijs donari *volumus* & mandamus. Intuitu quartæ ab eorum funeribus, qui extra Eccleſiam propriam tumulantur ſolvi debitæ, cùm ſe Religioſi adverſus eandem nullâ exceptione tueri poſſunt, eô quod ſit Conciliô Tridentino Conſtitutionibusq; Provincialibus roborata, eam ſalvam ſemper & integram manere, per Omnes tandem Seculares Regularesq; Presbyteros etiam Fratres S. Franciſci & Societatis JESU nuncupatos antequam aliquis ex altera Parochia in eorum Eccleſia venerit tumulandus priùs de electa apud eos & non alibi ſepultura (ad quam in ſuis Eccleſijs eligendam pactô (d) verô vel juramentô ſub pæna excommunicationis Papæ reſeruata (e) non debent inducere) Defuncti Parocho tempeſtivè conſtare, nihilq; ab ijs intuitu funeris, donec hujuſmodi quartam

(b) Tit: de Accidentijs Paroch:

(c) S. Congr: Concil: die 13 9bris 1660 in Matherànen: loci Grottulæ

(d) Donatus Prax. rer. Regular. tom. 3. Tract. 9. de ſepul. quæſt. 23. n. 3.

(e) Clement. cupientes. §. Sane de pœnis.

 ſivè

ſivè per ſe, ſivè per Succeſſores Defuncti, Parochis, ſeu adquos de jure ſepultura ſpectat ſine diſceptatione exolverit attentare debere ſub cenſuris Eccleſiaſticis præcipimus. Quodſi verò quiſpiam Parochorum vel eorum Vicariorum Defunctum alterius Parochiæ intra vel circa Eccleſiam Parochialem Suam ſepelire uſus fuerit, Ipſum (f) ſolutioni unius marcæ & alijs gravioribus pœnis ipſô factô incurrendis obnoxium eſſe decernimus. Peregrinorum attamen, Viatorum, notabilium Benefactorum & eorum, qui commodè ad ſuam Parochialem deferri nequeunt, liberam, ſepulturam permittimus, procꝫ notitia eorum qui ſepulturâ Eccleſiaſticâ carere debent ad Literam Paſtoralem remittimus.

(f) Conſtit. Provinc. lib. 3. Tit. de Sepult.

CAPUT XXV.

De Teſtamentis, Rebuſqꝫ poſt obitum Clericorum derelictis.

TEſtamentorum factio cum ſit publici juris (a) eorumqꝫ defenſio ſpectet ad Epiſcopos (b) intuitu eorum Authoritate præſentis Synodi ſtatuimus infraſcripta: Imprimis hortamur univerſos ut horam mortis præveniendo tempeſtivè diſponant Domui ſuæ, ultimam ſuam voluntatem per Teſtamenta in præſentia duorum (ſi fieri poteſt) Sacerdotum (c) vel aliorum proborum Virorum conficienda & ab ijs ſubſcribenda explicent. Eorum Executores non lucri cupidos, ſed viros pios proboſqꝫ deputent. Horum autem Officij partes erunt: Jnventarium derelictorum per ſe & ſide dignos Teſtes ſubſcriptum facere (d) publicationem Teſtamenti, Citatis Jntereſſe habentibus (e) illiuſqꝫ à Nobis vel Officio Noſtro approbationem, (f) procurare, executionem ordinationis non ultra Annum prorogare (g) Calculumqꝫ de perceptis & expenſis coram Actis & Officio Noſtro deponere, ac tandem non ſe priùs, quam Jnventa-

(a) l. 3. ff de Teſtament.
(b) c. ſi hæredes de Teſtament.
(c) c. Relatum extr. de Teſtam.
(d) Conſtit. Provinc. lib. 3. de Teſtã.
(e) Monacel. form. leg. prac. Tit. 15. form. 16. n. 10.
(f) Conſtit. Provinc. lib. 3. de Teſtam.
(g) Conſtit. Provinc. ibidem.

ventarium derelictorum confecerint, Commiſſioquè reviſionis Jnventarij Eccleſiæ domûſq; Plebanalis, nec non Augmenti vel deceſſûs in utroq; expedita fuerit intromittere. (h) Quodſi verò aliquem Jnteſtatum aut Executoribus minimè deputatis decedere continget, ex bonis illius derelictis abſolutâ ſepulturâ, debitis perſolutis, Familiâ quæ inſerviebat expeditâ, Conſolatione ſanguine junctis, præcipuè proximioribus pauperioribus præſtitâ, fundatô Anniverſariô, Parteq; pro Fabrica Eccleſiæ, cui inſerviebat deſignatâ, reliqvum noverint Arbitrio Noſtro diſpenſandum. Si quis autem Secularis ſivè Eccleſiaſtica vel Regularis Perſona defuncti Clerici Jura, debita, res vel bona occupaverit, vel Ipſis adhuc viventibus accepta non denuntiaverit, Eum ultra excommunicationem latæ Sententiæ per Synodum Provincialem promulgatam, per Inſtigatorem Curiæ Noſtræ furti reum pro pœnis debitis conveniendum, & ad dupli ſolutionem cogendum declaramus, eandemq; pœnam excommunicationis contra violatores libertatis teſtatoriæ, legatorumq; à moribundis in ſortem ſuam extorſores extendimus, ac alijs gravibus pænis ſubijciendos ordinamus. Quia verò Gembiccianâ Lucèorienſi Synodô (i) expreſſiſſimè cautum eſt, ut *circa approbationem Teſtamentorum*, ſi aliquid ex legatis pro Seminario vel Domo pauperum Presbyterorum non contineant in ſe relictum, *certa portio* de peculio Ipſorum ſemper *pro* dicto *Seminario vel Domo pauperum Presbyterorum detrahatur*, & illis applicetur, ejus Statutum innovantes cunctorum liberalitati hoccè pietatis opus inſinuamus, & aliàs ut dicta Conſtitutio præcipit, procedemus.

(h) Conſtit. Provinc. ibidem.

(i) Synod. Gembic. Cap. 5. Tit. de Teſtament. Cleric.

CAPVT XXVI.

De aureo viſceroſæ Charitatis Fœdere.

CHaritatem mutuam inter Clerum Diæceſis Noſtræ propagantes *Aureum viſceroſæ charitatis commentum*

ſeu Fœdus celeberrimum de Sacroſancto ac tremendo Miſſæ Sacrificio pro quocunq; Confratrum Sacerdotum, vitâ functo celebrando per olim Admodum Reverendos *Ambroſium Łabęcki* Vęgrovienſem, *Victorinum Koźieradzki* Łosicenſem, *Florianum Sadowſki* Drohicenſem, *Baſilium Chalecki* Bielſcenſem, *Iacobum Piaſecki* Janovienſem & *Caſimirum Piſczałowſki* Branſcenſem Decanos, túm & alios utriusq; Diœceſis Presbyteros concinnatum per Synodum Witwiccianam approbatum cunctorum Diæceſis Noſtræ Sacerdotum per ſingulos Decanatus conſtitutorum Cordibus ingerimus, ut mortuô in aliquo Decânatu Confratre quopiam, ſinguli ad ejus juſta perſolvenda conveniant. Miſſamq; pro Anima illius gratis celebrare non renuant commendamus, ut ſic de uno quoque dici queat: *quomodo ſe in vita ſua dilexerunt, ita & in morte non ſunt ſeparati.* Et quoniam ſingulare decus Clero cujuslibet Diæceſis ex Confraternitate Sacerdotali contrahitur, ad ejus Fundationem ſeu aliàs promotionem univerſos Noſtræ Diæceſis Presbyteros animamus, & quatenus in Congregationibus Decanalibus inter ſe hoc in paſſu conferant, aliquid pro DEI gloria ſuarumque Animarum ſuffragio ſtatuant obligamus.

CAPVT XXVII.

De Altaribus & Altariſtis.

NE Beneficia Altarium circa permultas Eccleſias Diæceſis Noſtræ fundatorum ſine ſua ſpeciali lege ac circumſcriptione relicta maneant, monemus omnes Parochos, ut extincta in ſuis Parochialibus eadem Altaria omninò reſuſcitari curent, Proventus eorum vindicent, nec ſibi eoſdem ſub pœna reſtitutionis dupli applicare & uſurpare audeant, verùm ſubjecta idonea ijsdem provideri quantocyus ſatagant; Si fortè nondum erecta & per Officium approbata ſunt, illa erigi & approbari intra

trimeſtre

trimeſtre à publicatione præſentium faciant. *Altariſtæ* verò & ad dicta Beneficia inſtituti ut in illis continuò reſideant, ſupellectilem ſacram, ſi habent ſeorſivam mundè ac in loco competenti in armariolis ad hoc conſultó comparandis vel comparatis conſervent, munijs & obligationibus ſuis in ſua & non alia Eccleſia ſatisfaciant, *Parochos ſuos uti ſuperiores debitô honore proſequantur*, Ipſis in omnibus licitis & honeſtis obediant, *in Proceſſionibus*, *thurificationibus*, *alijſquè ceremonijs Eccleſiaſticis* ſine renitentia *aſſiſtant*, in excipiendis Confeſſionibus, præcipuè in Paſchate, Feſtis Chriſti, & Beatiſſimæ alijsquè ſoleniter celebrari ſolitis eos adjuvent, nec inquopiam legitimæ eorum diſpoſitioni recalcitrare audeant præcipimus, Aliàs *contra ſecus facientes pœnam Marcarum quinquaginta vallamus*, & aſſignamus.

CAPVT XXVIII.

De Decanis Foraneis & Congregationibus Decanalibus.

NOn dubitamus quòd omnes D. D. Decani Rurales quid ſibi ſuum vendicet Officium ſatis ſufficienterq́ ſunt ex Litera Noſtra Paſtorali edocti, & informati, cùm ſat prolixam muneris eorum inibi fecimus circumſcriptionem. Adèóq́ nè Actum agere videamur, id omne præſens Synodus in toto reaſſumendo ad amuſſim obſervari præcipit. Mandat inſuper ut *quisq́ Decanus Congregationem Decanalem bis in Anno*, nimirum unam Diebus Maij, & alteram Diebus Octobris *celebret*, in initio Congregationis Miſsâ de Spiritu S. & altera pro Confratribus defunctis ſolenniter celebratâ profeſſionem fidei à Clero Decanali ſimultaneè ſuſcipiat, & Ipſemet coram ijsdem faciat: An Decreta Reformationum & Ordinationes in Viſitatione atquè præſenti Synodo præſcripta Suum effectum ſortiantur, debitequæ executioni demandentur inquirat,

M 2 ſuperq́

ſuperq; omnia hocce Suum munus concernentia ſeriò & conſtanter invigilet, ut de ſingulis Curæ & Officio ſuo commiſſis condignam Nobis reddere valeat rationem. Quodſi verò aliquis illorum modum Congregationis Decanalis celebrandæ ſcire voluerit, eum ad Synodum Provincialem Lib: 1. de Officio Decani ruralis, nec non Epiſtolam Paſtoralem Noſtram Diæceſanam pro faciliori Inſtructione remittimus.

CAPUT XXIX.

De Cenſibus & Summis eorum non tranſferendis.

IN ratione Cenſuum tám inſcribendorum, quàm & ſolvendorum Bullam PIJ V. Papæ, qvæ ſufficienter de Natura Cenſuum edocet, ad amuſſim obſervari volumus, nevè quiſpiam Beneficiatus ſummas Eccleſiaſticas capitales ſine ſpeciali Noſtra Licentia levare, vel in alia Bona transferre, de ijsdem pro libitu ſuo diſponere præſumat ſub pœnis contra Alienatores bonorum Eccleſiaſticorum ſancitis, præcipimus.

CAPUT XXX.

De abuſu oſculi Patenæ & Evangelij.

INhærendo declarationi Sacræ Congregationis Rituum, quâ vetatur nè ſecularibus oſculum Patenæ tribuatur, illud ſolis nonniſi Senatoribus vel aliô ſpeciali honore fulgentibus Perſonis, præterea Patronis & Collatoribus Eccleſiarum, ac illis, quibus de jure, vel magis Conſuetudine talis obſeruantia competit permittimus tribuendũ,

quatenus

quatenus tamen Sacerdotes ſive ſeculares ſivè Regulares delectum Perſonarum habeant, non niſi accedentibus ad Altare id faciant, cum patena verò per Eccleſiæ ſcamna & angulos non divagentur, præcipimus; Oſculum quoq; Evangelij dúm nonniſi ad Epiſcopum præſentem Principalem Miniſtrum Eccleſiæ & prædicationis Verbi Dei (a) pertinet, Regibusquē duntaxat & magnis Principibus id à S. Sede Apoſtolica conceditur, (b) illud cuipiam Alteri, præterquam Magnatibus dari inhibemus, & aliàs, ut in Litera Paſtorali decernimus.

(a) Prax: Neap: in Annot: ad Cap: 14.
(b) Prax: Arch: Neap: ibid:

CAPVT XXXI.

De Eccleſijs & Presbyteris Ritûs Græco-Vnitis.

REquiſivimus quidem fraternè per Literam Noſtram Paſtoralem (a) Reverendiſſimos Epiſcopos Ritûs Græci in Diæceſi Noſtra conſiſtentes, quatenus habitâ ratione Conſtitutionum Romæ ex mandato Clementis Papæ Diè 31. Auguſtj Anno 1595. impreſſarum, ad tollenda in benedicendis Matrimonijs Sponſorum Ritûs utriusq; inconvenientia, Decretum Concilij Tridentini ſeſs: 24. Cap: 1. de Reform: matrimonij in lingvam vulgarem typô imprimi, atq; pro majori ſuorum Preſbyterorum intelligentia publicari facerent, edictôq; ſuô caverent, nè quando dicti eorum Præsbyteri in adminiſtrationem Sacramentorum cum præjudicio Parochi Latini ſe se ingerant, aut baptiſmum in Caſu neceſſitatis Latinis infantibus ſolenniter, ob vitandam Confirmationis Sacramenti reiterationem conferre, Confeſſiones Latinorum ſine Noſtra approbatione excipere, Matrimonia ſponſorũ Ritûs utriuſq; ſine denũtiationibus in utriusq; Sponſi Eccleſia, vel dum Mulier eſt Latina, ſponſus verò Ruthenus benedicere ac tandē Corpora mortuorũ Ritûs Latini in ſuis Eccleſijs ſepelire audeant. Verũ ut ejuſmodi requiſitio effectũ

(a) De Eccl: & Presb: Rit Græc: unit:

N ſuum

ſuum ſortiatur, eandem Synodaliter innovamus. Et cùm multi inter Ruthenos reperiantur *Philippi hæreſim*, præcipuè in Volhynia & Braclavienſi Palatinatu profitentes, in eos ut ſeriò animadvertant, & hanccè hydram infernalem ampliùs creſcere non permittant obligamus. Requirimus inſuper Reverendiſſimos D. D. Epiſcopos Ritûs Græco-Uniti in Diœceſi Noſtra conſiſtentes, & præcipuè quibus Eccleſiæ Ritûs ejuſdem in Oppido *Zbaraż*, *Winnica* & alijs conſtitutæ ſunt ſubjectæ, ut Dialogos & certa ſpectacula in quibus Romanæ fidei illuderetur, non ampliùs fieri permittant; Imagines quoq; Coloribus adumbratas grandes & conſpicuas parietibus ſuorum Templorum affixas, multa in derogationem poſtpoſitionemq; Eccleſiæ Latinæ Perſonarumq; in honore Eccleſiaſtico conſtitutarum, quinimò etiam Summorum Pontificum ibidem in ſe depicta & expreſſa continentes blasphemas, & honorem Eccleſiæ Romanæ proſtituentes amoveant, eas igni tradendas præcipiant, nè inpoſterum tales vel ſimiles à quopiam pingantur vel conſtruantur, Comædiæq;, tales, ut dictum eſt peragantur ſeriò & ſub pœnis etiam corporalibus inhibeant. Quia tandem *multi ex eodem Ritu* Græco-Unito progeniti, Scientijs liberalibûs imbuti & in ſubjecta idonea excreſcentes, ad Noſtrum verò Ritum ob prohibitionem S. Sedis Apoſtolicæ, tùm & defectum condignorum pro ijs in Ritu ſuo beneficiorum *in Partes Chijovia ſeſe conferunt*, ac ibidem Schisma ultroneè amplectuntur, ſubjecta autem varia Noſtri Ritûs paſſim inſtituta & Religiones Græco-Unitas intrare & eis Nomen dare cernuntur, per quod Eccleſijs Latinis damnum infertur non modicum, pro Reſtrictione prohibitionis ſaltem quoad Partes Diœceſis Lucèorienſis ubi magna Ruthenorum multitudo Sanctæ Sedi Apoſtolicæ ſupplicamus, utq; ad Noſtrum Ritum recurrentibus Græco-Unitis Statui Spirituali in eodem Nomen dare citra omnem diſpenſationem liceat, humiliter exoramus.

CAPVT

CAPVT XXXII.

De Conſecratione Eccleſiarum, Indultis ad eaſdem, & Indultis ad Capellas ſeu Oratoria privata.

PRobatam qvidem in conſecrandis Eccleſijs promptitudinem Noſtram ſub tempus Viſitationis Generalis fecimus, ſed quòd huic Muneri Noſtro Paſtorali deeſſe impoſterum nolimus, in hac præſenti Synodo *Eccleſias* utriusq; Diæceſis Deô favente pro *futuro vere atquè Æſtate* (dummodo adſint requiſita) *Nos conſecraturos declaramus*, ac proindè, ut Menſas muratas Altaris Majoris unuſquisq; Parochus pro illo tempore habeat, injungimus: ijs verò quorum Eccleſijs conſecratio hic & nunc impendi non poterit, nonniſi habitô Indultô ab Officio quotannis in ſcriptis obtinendo & non aliter, benedictione Decanali minimè ſuffragante, celebrari permittimus. Et *cùm Indulta ad Capellas ſivè ad Oratoria privata ſint à Iure exorbitantia* (a) *ſtrictéq; interpretari debeant*, nonnulli verò Sacerdotes præcipuè Regulares ſub prætextu Privilegiorum atq; dictorum Indultorum, imò etiam non viſis Indultis in privatis Magnatum Nobiliumq; Perſonarum Domibus Altare erigere, ibiq; vivificam Chriſti hoſtiam immolare in Sanctarum legum contemptum, tremendiq; Sacrificij irreverentiam non verentur, idcircò inhærendo Decreto felicis Recordationis CLEMENTIS Papæ XI. Diè decimâ quintâ Decembris, 1703. Annô edito, ab INNOCENTIO XIII. Annô 1723. innovato, à Sanctiſſimo verò Domino Noſtro D. BENEDICTO XIII. Pontifice Maximo ad præſens feliciter Eccleſiam gubernante Anno 1724. conſimili Declaratione confirmatô, Omnibus cujuſvis Ordinis aut Inſtituti ſeu Congregationis Presbyteris ut in Diebus Paſchatis Pentecoſtes, Nativitatis Chriſti Do-

(a) Monacel.

N2 mini

mini, primâ & ſecundâ Diè, item in Feſtis Beatiſſimæ & Apoſtolorum alijſq; ſolennioribus, quorum adnotationem in directorijs Officiorum quotannis fieri procuramus, contemplatione præfatorum Privilegiorum atq; Indultorum celebrare non audeant; inhibemus, aliàs contra ſecùs facientes ad pænas per ſacrum Concilium Tridentinum Seſs. 22. Cap. unico de S. Miſſæ Sacrificio præſcriptas procedemus, & memorata Decreta rigorosè exequemur. Sed quia permulti rigorem Juris evitantes, Magnatibus tamen alijſq; Perſonis Nobilibus placere, Curiarumq; favores captare volentes in prædictis Feſtis Chriſti Domini, Beatiſſimæ, & Apoſtolorum, alijſq; in quibus celebratio in Oratorijs privatis prohibetur pro celebrando S. Miſſæ Sacrificio ad Ritûs Græco-Uniti Eccleſias ſe se conferunt, ibidemq; celebrare præſumunt, licet quidem celebrationem Miſſarum in Eccleſijs prædictis Ritûs Græci propter ſtabiliendam & ampliandam Unionem Sanctam Diebus Feſtis Ruthenorum Nemini denegamus, quinimò ut mutuam charitatem Presbyteri Ritûs Noſtri cum Presbyteris Ritûs Græco-Uniti teneant & conſervent obligamus, quia tamen celebratio Miſſarum in Feſtis Latini Ritûs ſupra nominatis taliter uſurpata multùm juribus Eccleſiarum Parochialium præjudicare dignoſcitur, nam per id Populus atq; Parochiani contra prohibitionem Decretorum ſupra allegatorum à proprijs Eccleſijs avocantur, videnturq; tales Præcepto Eccleſiaſtico non ſatisfacere, idcircò pro Declaratione hac in re obtinenda Sacræ Congregationi Eminentiſſimorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium Concilij Jnterpretum humiliter ſupplicamus, interim ut memorata Summorum Pontificum Decreta Sacroſanctè obſerventur, ſub pœnis præcipimus.

CAPVT XXXIII.

De Fundatione PP. Reformatorum in Bocki.

Suppli-

SUpplicationibus Jlluſtris & Magnifici D. *Ioſephi* Comitis *SAPIEHA* Curiæ Magni Ducatûs Lithvaniæ Theſaurarij &c. Patrumq; Reformatorum Provinciæ Polonæ ad Nos humiliter factis benignè annuentes, *Fundationem* novam *Conventûs* eorum *in* Oppido *Bocki*, cùm Eccleſiæ Parochiali ibidem ſitæ in minimò non præjudicet *admittimus*, eandemq; Authoritate Noſtrâ Ordinariâ præſentiſq; Synodi approbamus.

CAPVT XXXIV.

De S. Miſſæ Sacrificio.

SI in Lege Veteri, Sacrificia quæ erant Figura modernorum pollutîs oblata manibûs indignè tulit Altiſſimus, inquiens per Prophetam: *Offertis ſuper Altare Meum panem pollutum, non eſt mihi voluntas in vobis & munus non ſuſcipiam de manu veſtra* (a) quanta Cura adhibenda eſt (b) ut Sanctiſſimum Miſſæ Sacrificium omni religionis cultu ac veneratione celebretur. Non ſolùm jejunos (c) ſed omni Carnis ſenſualitatiſq; fœtore vacuos oportet ad illud accedere, magnaq; cum attentione, devotione, præparatione Conſcientiæq; puritate hanc incruentam hoſtiam immolare. Monemus itaq; ut celebraturi non ex conſvetudine & neceſſitate, ſed tanquam rem magnam, Angelis Ipſis tremendam operaturi ad Altare ſe conferant, induantur juſtitiam, *cogitent* (d) *quòd adſtat hic menſa Regia, adſtant & Angeli Menſæ Regiæ adminiſtri.* Nunquam contingat (e) turbatum aliquem accedere ad pacis Sacrificium! cum ira & diſceptatione contingere Sacramentum, in quo Deus adeſt mundum reconcilians, nefas eſto. Et quia *Sacerdos absq; ullo impedimento* (f) *nec ullum in Anima peccatum habens multis ſe haud dubiè bonis privat, & aliàs gratijs, ſi non ex reverentia ſed ex negligentia omittit celebrare,* idcircò Omnes Presbyteri ſaltem Dominicis & Fe-

(a) Malach. 1. v. 7. 10. & 11.

(b) Concil. Trident. Seſs. 22. ante Cap. Reform.

(c) Concil. Tolet. 7. c. Nihil. de Conſecr.

(d) S. Chryſo. hom. 3. in Epiſt. ad Ephes.

(e) S. Bernar. de diſpenſ. & præcept.

(f) S. Bonavent. de Præparat. ad Miſs.

ſtis Diebûs, ſi autem Curam Animarum habentes vel Beneficiati tàm frequenter, ut ſuo muneri ſatisfaciant, Miſſas celebrent, antequam ad Altare acceſſerint ſaltem in Eccleſia rarò aut nonniſi exigente neceſſitate, idq; in ſilentio colloquantur, in Sacriſtia fieri clamores non permittant, nec Ipſi faciant, ſed modeſtè peragant peragenda. Ante lotionem manuûm Miſſam ſibi. conſignent & expoſt lotis manibus calicem præparent, ſacras veſtes induti Nemini colloquantur, ſed preces tacitè recitent. Ex ſacriſtia donec ſignum detur omnia jam parata eſſe, non exeant, circa Altare Neminem cum Miſſa expectent: *Conventualem neq; anticipent neq; differant, ſed præſcriptâ* per Paſtoralem Literam *horâ abſolvant* & decantent. Altaria conſecrata, Portatilia inviolata atq; integra, trinas mappas, corporalia atq; purificatoria nitida, omnemq; munditiem adhibeant, & nè aliquid præcipuè in ligneis Eccleſijs ex pavimento ſuperiori decidat in calicem, baldechinum ſaltem ex carbaſo picta & ut dicit Gavant. (g) *tegmen ex tela cerulea* eidem *pavimento ſuper altare Menſamq; & celebrantem affigant*, apud Judæos & apud Diſſidentes, qui in contemptum Divinorum multa facere non reformidant vinum atquè farinam non emant. Ad extremum tàm ante, quàm in actu & poſt actum Sacrificij dicta & expreſſa in Litera Paſtorali ſeriò & ſub pœnis condiſcant & obſervent, ſcientes quòd maledictus ille ſit qui facit opus Dei negligenter.

(g) Gavant. in Manual. Epiſc.

CAPVT XXXV.

De Xenodochijs Pauperum.

CUm ſpecialiter commiſſum ſit Epiſcopis tam de Jure Civili (a) quàm de Jure Canonico (b) atq; Concilio Tridentino (c) cautum, ut Hoſpitalium in quibus pauperes aluntur quantumvis exemptorum curam habeant: idcircò *monemus* omnes *Parochos* penes quorum Eccleſias Hoſpitalia domuſq; Pauperum ſunt conſtituta, *ut ad*

(a) in l. Id quod pauperibus & in l. ſi quis ad declinandum Cod: de Epiſc: & Cleric:
(b) c. De Xenodochijs de Religioſis Domibus in Clemen. 2. Tit. eodem.

ad mentem Literæ Paſtoralis eodem ſub Titulo *in regendis & alendis Pauperibus ſe ſe gerant*, *Fundationes eorum* Bona ac reditus per quascunq; Perſonas poſſeſſa & occupata *vindicent*, quòd *uſurpantes Bona hoſpitalium incidunt in excommunicationem Papæ reſervatam* (d) Fideles Chriſti præmoneant, cum pertinacibus & reſtituere nolentibus ſeriò & ſub pœnis contra Alienatores jure agant, Nos quantùm, ex Nobis eſt, ſiquidem *Hoſpitalium cauſa favorabilior quàm Eccleſiæ* (e) ad ea quæ Juris & juſtitiæ fuerint cum talibus procedemus. Et quia Puellæ ſolo etiam Patre orbatæ Pauperum Orphanorumq; ita ut illis diſtributio fieri poſſit nomine veniunt (f) hoc loco etiam reſpectu Fundationis Radivillianæ pro puellis Pauperibus exdotandis innuimus, utquè *Perilluſtres Præpoſiti Olycenſes* nunc & inpoſterum exiſtentes ad amuſſim & ex integro *dictæ Fundationi ſatisfaciant*, *puellis* Pauperibus *de dote quotannis provideant*, alias Summas erogatas reſervent, ordinamus.

(c) Seſs. 23. Cap. 1. de Reform.

(d) Bonac: in Buil: Cœnæ quæſt: 18. pun. 4. n. 9.

(e) Amoſtaz de cauſis pijs par 1. l 4. cap: 11. n. 36.

(f) Diana Reſolut: par: 4. Leoncil: de privil: Pauperum par: 2 Privil: 303. n. 1.

CAPVT XXXVI.

De Viſitatione & Viſitatoribus Eccleſiarum.

QUandoquidem auxiliante Domino, Viſitationem Generalem Diœceſis Noſtræ Luceórienſis & Breſtenſis tam per Nos quàm Officiales Noſtros expedivimus, in Literaq; Paſtorali Viſitatoribus, quomodo ſe in hoc munere gerere debeant Regulam præſcripſimus, nè crambè repetatur, plura in præſenti Synodo hòc in paſſu non ſtatuimus, verùm ſtatuta Literæ Paſtoralis hòc loco innovando, ut *in* ſequturis poſthac *Viſitationibus methodus viſitandi in Proceſſu ſeu Innoteſcentijs Viſitationis Typo impreſſis tradita obſervetur*, Decretaq; Reformationum effectum ſuum & Executionem conſequantur, Curæ D.D. Viſitatorum atq; Decanorum committimus. Cumq; per

Concilium Tridentinum. Singulis Annis Diœceſim viſitare teneamur, eandem futuri Anni Menſibûs & diebûs à Jure præſcriptis faciendam indicimus.

CAPVT XXXVII.

De Patronis & Collatoribus.

PUlchrum ac ſpecioſum Patronorum & Collatorum munus eſt, utpote qui Patrocinari Eccleſiæ & in Domum Domini conferre aliquid obligantur, præſens tamen ſæculi perverſitas, quid ſibi incumbat, minùs agnoſcendo ſolô nomine gloriatur, quòd Fundatorum in ſe derivetur Authoritas ſatis reputando. Adeoq; nè quid inane illis videatur *ſciant muneris eſſe ſui ad Beneficia quævis Juriſpatronatûs & Collationis ſuæ* ſivè poſt ceſſum ſivè pòſt deceſſum *vacantia ſubjecta idonea*, vitæ probitate, doctrinâ & ſcientiâ conſpicua (a) & quidem ſi ſunt *Patroni Spirituales intra ſex*, ſin verò *Sæculares intra quatuor Menſes* à Die Notitiæ reſignationis vel obitûs Parochi præſentare, aliàs elapſô præfixô Terminô noverint. Nos Jure devolutô de Rectore Eccleſiæ proviſuros. Et inquantum minùs capax fuerit Præſentatus, ad providendum digniorem juxta Concilium Tridentinum deſcenſuros. Porrò dicti *Patroni circa electionem Perſonarum in præſentando ſortitione non utantur*, aut cum electis de alienandis aut non repetendis Juribus Eccleſiæ aut Decimis vel manipularibus in pecuniarias immutandis pretioq; minuendo tranſigere, ſtipulationes abſconditas facere, aut oblationes qualicunq; prætextu & colore palliatas exigere, poſt fata Parochi Jura aut bona Eccleſiarum, Claves ab iiſdem vel gubernium aliquod uſurpare ac prætendere, *in diſpoſitionem rerum Eccleſiæ vel derelictorum Beneficiati ſeſe ingerere, aut* etiam *eandem directè vel indirectè impedire* (b) *non audeant* inhibemus, aliàs ſecus facientes non ſolùm Cenſurîs ſoli Papæ reſervatis irretitos, verùm etiam & Jus Patronatûs amiſſuros,

(a) Concil. Trident. Seſs. 7. Cap. 3. de Reform.

(b) Concil. Trident. Seſs. 22. Cap. 11. de Reform.

ros, Præſentatum verò non ſolùm Beneficiô ejusmodi indignum, ſed & ipsô factô ad Sacros Ordines & Beneficia Eccleſiaſtica obtinenda inhabilem eſſe declaramus. Cùm autem in nonnullis Eccleſijs Patronorum Collatorumq; quid ſit jus ſuum ignorantium tales ſæpè reperiantur, qui ſibi ad invicem paſſim contradicentes circa collationes beneficiorum, non modò diſcordias & æmulationes excitant, verùm etiam oblatis muneribûs ſeu prævijs tractamentis & conſolationibus induci ſe ſinunt ad Præſentationum ſubſcriptionem: Ideo Nos ſcandalum ac Symoniam hoc in paſſu pullulare advertentes, pravumq; hunc abuſum & peſſimã conſvetudinem abolere volentes, ut in poſterum circa impetrationem ſubſcriptionemq; Præſentationum nulla prorſus munera, tractamẽta, compotationes, cõſolationes aut quôvis titulô nuncupatæ oblationes ſive per Curantes exhiberi ſive per Collatores prætendi queant, feriò & ſub cenſuris contra Symoniacos decretis inhibemus. Quia tandem nonnulli Patroni tametſi Pauperes in Eccleſijs ſuæ Collationis in quibus ſepulchra murata vel ex alia materia fabrefacta non habent, ſæpenumerò corpora ſua tumulari non ſinè faſtu exigunt, conſiderantes quòd per motum aſſiduum pavimenti inferioris Eccleſiæ ſuæ, quæ continuò motos lapides vel aſſeres reparare cogitur, magnũ inferunt diſpendium, idcirco *eis duntaxat, qui propria habent ſepulchra, ſepulturam in Eccleſia permittimus*, reliquos, niſi ſibi de ſepulchris conſtruendis providerint, non obſtãte eorum Iure Patronatûs in Cæmeterio ſepeliri debere, hac Synodali Conſtitutione ordinamus.

CAPUT XXXVIII.

De Decimis.

QUoniam plerumq; Chriſti Fideles cupiditate malorum omnium fomite incitati, in ſolvendis quæ Deo debentur ſegnes & tardi eſſe conſpiciuntur, & ad legum

P Divinarum

Divinarum & humanarum claritatem cæcutiendo, Decimas Parochialibus Eccleſijs debitas aut nolunt reddere, aut minuunt & retardant, per iſtam Decimarum denegationem, ſubtractionem vel diminutionem, proventus domeſticos augeri ſeq; ditiores fieri reputantes, idcircò ut tanquàm inſipientes ſciant & intelligant quanti momenti ſit proventus Eccleſiæ defraudare, illud ex ſacra ſcri-
(a) Aggei 1. v. 9. ptura hoc loco inferimus, nimirũ (a) *reſpexiſtis ad amplius, & ecce factum eſt minus, & intuliſtis in Domum & exſufflavi illud: Quam ob Cauſam dicit Dominus Exerci-*
(b) Malach. 3 *tuum.* (b) *Si affigit homo Deum, quia Vos configitis Me? & dixiſtis in quo configimus Te? in Decimis & in Primitijs. Et in penuria Vos maledicti eſtis, & Me Vos configitis Gens tota. Inferte omnem Decimam in horreum Meum & ſit cibus in Domo mea & probate Me ſuper hoc: dicit Dominus.* Inferimus etiam hic duo excerpta ex Bulla Apoſtolica LEONIS X. De novalibus à CASIMIRO Rege Poloniæ & Baronibus Regni atteſtante eôdem Pontifice acceptata, rata & grata, laudata & approbata habita tenoris ejuſmodi: *Vbicunq; in Regno Poloniæ & locis illi vicinis ac tota Provincia Gneſnenſi ſylvæ vel mericæ aut earum Pars ab antiquis agris progrediens ſimul vel ſucceſſivè in futurũ extirpabitur, Agros antiquos contingentes, Agrorum novalium hujuſmodi Decimas Rector Parochialis Eccleſiæ hujuſmodi, vel Clericus aut Canonicus vel alius quicunq; ratione Beneficij per eum obtenti, in villa vel Territorio, novalia hujuſmodi evenerint, percipiat ut priùs, & ſicut antiquorum Agrorum Decimam percipiebat.* Secundum de tenore tali: *Vbi verò intra gades & limites antiquæ villæ in ſylva aut merica ſivè in Agro aut prato, intra ſylvam & mericam villa locabitur ſivè conſtruetur de novo, aut nuncupabitur villæ antiquæ Nomine, ſivè non, dictarum villarum Decimæ novalium hujuſmodi ad Archiepiſcopi Epiſcopiq; Diæceſani, in cujus Diæceſi nova villa ipſa extitit, Menſam ſpectent & pertineant.* Hortamur tandem in Domino & præcipimus tàm Secularibus quàm Regularibus Presbyteris, ut ſub pœnis in Clementina (c) *Cupientes* &c.

De

De pœnis: ſtatutis *Confitentibus Conſcientiam faciant*, *de obligatione tradendi Decimas* ijs ad quos ſpectat, *etiamſi Confitentes taceant* ſe dictas Decimas non ſolvere. Præterea *Parochi* ut *quater* ſaltem *in Anno de Decimis Concionem ex ſuggeſtu dicant*, quid ſit Decimam retinere exponant, *&* aliàs *eô Nomine Bullam Cœnæ Domini & Compendium Excommunicationum tàm Papalium quàm Epiſcopalium* in Litera Paſtorali impreſſum *publicent*, demandamus, Omneſq; Occupatores, aut Detentores bonorum, proventuum & Decimarum Eccleſijs aut quibuscunq; Locis pijs debitarum Juriumq; ejſdem ſervientium tamdiu Anathemati ſubjacere, & à nullo Sacerdote abſolvi poſſe, donec realiter & in effectu ſatisfecerint, atq; Bona, Decimas, proventus & Jura reſtituerint declaramus. (d)

(c) Concil: Trident: ſeſ: 21. cap: 11. de Reform:

CAPVT XXXIX.

De Regularibus.

NIhil hic novi & ex proprio ſenſu de Regularibus intendimus ſtatuere, ea tantùm quæ publici manifeſti indubitatiq; Juris ſunt, eò quòd à nonnullis non ſinè gravi Sanctæ Sedis Apoſtolicæ & Noſtræ Authoritatis Ordinariæ Ipſorum autem Conſcientiæ, & nonnunquam Animarum Chriſti Fidelium læſione ac detrimentò vel ignorantur vel contemnuntur, in memoriam revocamus: Verùm quoniam & hæc omnia tam in Litera Paſtorali ſat fusè ac pellucidè expreſſimus, in hac verò præſenti Synodo nonnulla ſub Titulis, & quidem *1mo* de Conſervatoribus *2do* de Monialibus. *3tio* de Regularibus Beneficia obtinentibus. *4to.* De ſepulturis & quarta Funeralium, tandem ſub Titulo de Decimis, Cenſibus, Sacramentoquè Pœnitentiæ inquimus, idcircò eos utpotè notitiam Literæ Paſtoralis habentes ad ejus Decreta ſub Titulo *de Regularibus*, tum ad præinſertos Synodi Titulos remittimus, & pro Principali Statutorum

eoſdem

eoſdem *Regulares Conſtitutionum* PIJ IV. quæ incipit.
(a) An: 1565. 13. Kalend: Mart: *In principijs Apoſtolorum* &c. (a) GREGORIJ XIII. quæ incipit: *In tanta rerum &c.* (b) CLEMENTIS
(b) 1572 kal: Mart: VIII. quæ incipit: *Sanctiſſimus in Chriſto Pater* &c.
(c) An: 1592. (c) & vel maximè GREGORIJ XV. quæ incipit: *In-*
(d) 1622. nonis Febr: *ſcrutabili* &c. (d) & quam olim Jlluſtriſſimus Wiſwicki Prædeceſſor Noſter in Synodo ſua per extenſum imprimi juſſerat *memores eſſe volumus.* Inſiſtendo tandem Declarationi per Breve INNOCENTIJ X. Romæ apud S. PETRUM Die 20. Aprilis Anno 1645. pro Regno Poloniæ emanatum promulgatæ inhibemus, nè quis ſine Noſtra vel Officialis Noſtri generalis Licentia cum Sanctiſſimo Proceſſiones peragere præſumat, exceptô Feſtô Corporis Chriſti, Patronorum Eccleſiæ aut Patriarcharum Ordinis alicujus, item ubi Confraternitates ſub Invocatione Beatiſſimæ Virginis MARIÆ aut aliorum Sanctorum Canonicè inſtitutæ & erectæ ſunt, vel in quadrageſimali tempore, ſi taliter conſvetudo obtinet antiquata.

CAPVT XL.

De Regularibus Beneficia incorporata habentibus.

JUra Parochialium Eccleſiarum Regularibus unitarum & incorporatarum in ſuo eſſe conſervando, cùm ex
(a) Concil: Trid: diſpoſitione S. Concilij Tridentini (a) Secularibus ſecularia, Regularibus Regularia Beneficia ſint conferenda, ſtatuit præſens Synodus, nè Religioſi, quibus Cura Animarum incumbit, audeant ſe ullo pactô in regimen Eccleſiæ vacantis immiſcere, niſi priùs legitimâ Præſentatione Capitulariter obtentâ Nobis vel Officio Noſtro exhibitâ & niſi examinati, atq; ad idem Beneficium fuerint inſtituti. Qui quidem Inſtituti, ut ad normam Parochorum ſe ſe gerant, Curam Animarum diligenter

ligenter obeant, Baptiſteria, Olea Sacra, Metricas, Status Animarum & alia quævis requiſita exactè teneant & conſervent, in Congregationibus Decanalibus quoties opus fuerit præſentes adſint, viſitationes tam Noſtras generales, quàm Decanales non ſubterfugiant, ad Synodum celebrandam conveniant, cæteraq; munus Parochiale concernentia debitè faciant & exequantur admonemus. Jllos Conſtitutionis GREGORIJ XV. memores eſſe volumus (b) Porrò Religioſis in Chriſto Patribus & quidem *Kiſielinenſibus* Ordinis Beatiſſimæ MARIÆ Virginis de Monte Carmelo, *Zaturcenſibus* Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, *Conſtantinovienſibus* & *Lachovecenſibus*. Ordinis Prædicatorum, *Bereſtecenſibus* Ordinis SS: Trinitatis de Redemptione Captivorum, *Medereceńſibus* ſeu Interamnenſibus Piarum Scholarum, *Targovicenſibus* Ordinis Prædicatorum Congregationis S. Ludovici Bertrandi, quòd Nobis circa laborem in vinea Domini cooperentur, ſponteq; ac benevolè Curam Animarum ſuſcipiant perpetuæ gratitudinis inſcribimus monumentum.

(b) Quæ incipit Inſcrutabili Nonis Febr: 1622.

CAPVT XLI.

De Monaſterijs Monialium & Clauſura eorundem.

SAtis ſuperq; innuimus in Litera Paſtorali de Monaſterijs Monialium & Clauſura eorundem, & prætere a ſingulis tàm Regulæ S. Salvatoris Lucèorienſibus & Breſtenſibus, quàm Sanctæ Claræ, ejuſdem Loci, necnon Sancti Benedicti Drohicienſibus, atq; Sanctæ Thereſiæ Dubnenſibus *Decreta Reformatoria* in Ordine ad ea quæ magis obſervantiæ ac diſciplinæ Regulari inſtaurandæ opportuna cenſebamus, & ſpecialiter quò ad Clauſuram dedimus, verùm nè de rigore in Reformationibus appoſito per intermiſſam in Synodo præſenti de ejs Conſtitutionem quidquam remittete ac condeſcendere videamur,

Q amur,

amur, Actum autem agere nolentes breviter rem definiendo imprimis dicta Decreta hâc *Synodali Conſtitutione roboramus*, firmamus inq; ſuo robore permanere, ac *quolibet Quartuali in præſentia Omnium Monialium per ſingula Monaſteria legi debere decernimus. Conſtitutiones* Bullaſq; *SS. Patrum* intuitu Clauſuræ obſervandæ latas, ſignanter verò PIJ V. unam, quæ incipit: *Circa Paſtoralis* &c. (a) alteram quæ incipit: *Decoris* &c. (b) Item GREGORIJ XIII. unam quæ incipit: *DEO Sacris* &c. (c) alteram quæ incipit: *Vbi gratiæ* &c. (d) Tertiam quæ incipit: *Dubij* &c. (e) Quartam, quæ incipit: *Quæ Sanctimonialium* &c. (f) Jtem Conſtitutionem SIXTI V. quæ incipit: *Sanctimonialium* &c. (g) PAULI V. quæ incipit: *Monialium* &c. (h) GREGORIJ tandem XV. quæ incipit: *Inſcrutabili* &c. (i) Ad extremum *Conſtitutionem BONIFACII VIII. cui Concilium Tridentinum infundatum eſt* & quam recenſet Bonacina in Collect. ſuper Concil. Trid. (k) quibus omnibus Clauſura Monialium nervoſiſſimè eſt circumſcripta *hic pro recenſitis haberi* cunctaſq; ſupra fatorum Monaſteriorum *Moniales harum Conſtitutionum memores eſſe volumus.* Et cùm acceſſus ad dicta Monaſteria videtur pertinere ad Clauſuram, ut obſervat Curia Neapolitanenſis in qua excommunicantur in ſpecie accedentes ad talia Monaſteria & omnes accedentes petunt licentiam ab eadem, quam conſvetudinem ſervandam cenſuiſſe fertur Sacra Congregatio Concilij Tridentini (l) Ad Epiſcopum verò ſpectat providere circa acceſſum ad Monaſteria, *nec ſit diſtinctio, an ſint exempta*, *vel non* (m) ſuperq; hoc ſtatutum (quod juxta communem Doctorum Sententiam valet & ligat ſubditos ad talia Monaſteria accedentes (n)) Synodaliter ferre ac promulgare, idcircò *contra accedentes ad Monaſteria Monialium atq; in ijs* vel eorum Portis *ſine neceſſitate & ſpeciali. Noſtra Licentia commorantes, pœnam excommunicationis extendimus.* Inſuper cùm præfatæ Moniales præſertim exemptæ ut experimentô didicimus, quandam reſervationem proviſionum pro

(a) An: 1566. die 4. Iulij
(b) An: 1569.
(c) 1572.
(d) Anno eodem
(e) 1581.
(f) An: 1584.
(g) 1599.
(h) An: 1612.
(i) 1622. Nonis Febr:
(k) ſeſs: 25. de Regular: & Monial: cap: 5
(l) Prax: Arch: Neap: cap: 33. de ſtatut: Epiſcop: accedentes: ad Monaſt: Monial: exempt.
(m) c. Monaſteria de vita & honeſt. Cleric.
(n) Henriquez de Bortis de Synod Epiſc. Par. 3. Art. 1. Conc. 13. n. 40.

pro parte ſua circa ſuſceptionem habitûs & exſolutionē dotis facere ſoleant, quòd paupertati Religioſæ è diametro contrarium eſſe cernitur, ideo nè hujuſmodi *ſerpat proprietas*, haſce *reſervationes abrogamus*, eaſq; ampliùs *fieri ſub pœna excommunicationis*; *Superiorisſarum verò* & talia permittentium *ſuſpenſionis ab Officio* atq; perpetuæ inhabilitatis *inhibemus*.

CAPVT XLII

De Iudicibus Synodalibus.

QUoniam paſſim contingunt Cauſæ ad Forum Eccleſiaſticum pertinentes ex Apoſtolica Commiſſione his in Partibus terminandæ, nè Judices quærantur extra Diœceſim, ſatisfaciendo Conſtitutioni BONIFACIJ VIII. atq; Concilij Tridentini, authoritate præſentis Synodi in hujuſmodi Judices Synodales Reverendiſſimum ac Perilluſtres DD. Joſephum *Olſzańſki* Suffraganeum Nominatum Chełmenſem Præpoſitum Lucèórienſem, atq; inſignis Collegiatæ Ołycenſis Infulatum, *Antonium Szaſzonſki* utriuſq; Juris Doctorem Decanum, *Eliam Hulewicz* Archidiaconum, *Wincentium Suchocki* utriuſq; Juris Doctorem Prothonotarium Apoſtolicum, Scholaſticum Lucèórienſes & Vladislaum Archidiaconum Breſtenſem deputamus, eosq;, ut ſe in hoc munere ac Officio juxta memoratum Concilij Tridentini Decretum ac diſpoſitionem gerant, obligamus.

CAPVT XLIII.

De Examinatoribus Synodalibus.

UT Eccleſiæ Parochiales & cura Animarum idoneis Presbyteris ætate, ſcientiâ, pietate, probitateq; com-

mendatis committi queat, Examinatores ad mentem Decreti Concilij Tridentini pro Luceorienſi: Perilluſtres & Admodum Reverendos Eliam Hulewicz Archidiaconum Luceorienſem, Petrum Kęśicki Canonicum Luceorienſem, & Inſignis Collegiatæ Ołycenſis Decanum, item Admodum Reverendos *Andream* Szpakowſki Vicedecanum, *Matthæum* Szulc Vicarium & Regentem Seminarij Eccleſiæ Cathedralis Luceorienſis, præterea Religioſos Patres, *Ambroſium* Koziełſki Sacræ Theologiæ Magiſtrum Priorem Conventûs Luceorienſis Ordinis Prædicatorum, Lectoresq; Primarium & Secundarium S. Theologiæ Ejuſdem Ordinis & Conventûs; Inſuper Religioſos & Admodum Reverendos Miniſtrum Sæ. Theologiæ Lectorem Ordinis Sanctiſſimæ TRINITATIS de Redemptione Captivorum Conventûs Luceorienſis, *Ignatium* Potocki Priorem Conventûs Kisielinenſis Ordinis Beatæ Mariæ de Monte Carmelo antiquæ obſervantiæ, atq; Religioſos Patres Martinum Ługowſki Rectorem & Bartholomæum Dziewatyńſki Miniſtrum Collegij Luceorienſis; Concionatorem Cathedralem, & Religioſos Patres Collegiorum Interamnenſis & Dąbrovicenſis Clericorum Regularium Pauperum MATRIS DEI *Scholarum Piarum* Rectores. Pro Breſtenſi verò Diœceſi: Perilluſtres & Admodū Reverendos Vincentium Suchocki Utriuſq; I. D. Prothonotarium Apoſtolicum Scholaſticum Luceorienſem, Cauſarum Curiæ Noſtræ Auditorem, Vladislaum Sutkowſki Archidiaconum Breſtenſem, Vladislaum Joannem Furſs Canonicum Vladislavienſem, Michaëlem Gaſſ Luceorienſem & Varſavienſem Canonicum Clericorum Sæcularium in Commune viventium Præſidem, Item Admodum Reverendos Regentem & Viceregentem Seminarij Ianovienſis, nec non Religioſos Patres Chriſtophorum Limontt Drohicienſis; Nicolaum Czarzaſty Pinſcenſis Soc: JESU, atq; Lubieſzovienſem *Scholarum Piarum* Collegiorum Rectores conſtituimus & deputamus eos, per viſcera Chriſti obligantes, ut in examinando Clero, præcipuè ad Ordines, primò vitæ morumq; eorum, deindè ſcientiæ hoccè munus Angelicis humeris ſupportandum

con-

concernentis rationem habeant, *nullô reſpectu in dando de eorum ſcientia teſtimonio ducantur*, aliàs ſi minùs idonea ſubjecta Nobis propoſuerint ordinanda, vel ad Confeſſiones excipiendas approbanda, Omnipotentis Domini indignationem ſe non evaſuros meminerint.

CAPVT XLIV.

De Commiſſarijs ad Inquiſitiones peragendas.

QUerelæ nonnullorum ad Nos pervenerant, quòd quidam ab Officio Noſtro ad peragenda in Cauſis Partium collitigantium ſcrutinia deputati minùs ſe ſinceros quinimò affectatos Partibus exhibeant, proindè, cùm res minùs iuſta cenſeatur, uni quidem favere, alteri verò Parti de Jure debita denegare, ut inpoſterum æqualitas in ijs quæ juris & juſtitiæ ſunt erga Partes obſervetur, Commiſſarios Synodales ad dictas Inquiſitiones peragendas, & quidem: *Pro Vlodimirienſi* Admodum Reverendos *Antonium Poniatowſki* Łokacenſem, & *Adalbertum Berezowſki* Swoyczovienſem Parochos; *Pro Zaſlavienſi* Admodum Reverendos *Stanislaum Kropurnicki* Decapum Zaſlavienſem, Corecenſem, & *Ioſephum Iezierſki* Zwiahelenſem Parochos; *pro Dubnenſi* Admodum Reverendos *Nicolaum Piramowicz* Curatum Taycurienſem & *Antonium Gorczynſki* Dubnenſem Parochos; *pro Zbarazenſi* A. RR. *Paulum Ketlicz* Iampolienſem, & *Adalbertum Wąſowſki* Bazalienſem Parochos; *pro Braclavienſi & Cremenecenſi* Perilluſtrem & Admodum Reuerendos *Adalbertum Temezuari* Canonicum Camenecenſem Præpoſitum Załoſcenſem, & *Ioannem Błońſki* Brodenſem Commendarium; *pro Ianovienſi* Admodum Reverendos *Simonem Wnorowſki* Łomazenſem & Pieſzczatenſem, atq; *Andream Woſzczarſki* Oſtrovecenſem Parochos; *pro Camenecenſi* Jlluſtrem & Admodum

R modum

modum Reverendos *Franciſcum Derbaix* Canonicum Gratialem Lucèórienſem Curatum Stavenſem, & *Adalbertum Wyſzyński* Decanum Camenecenſem Curatum Mrozovicenſem; *pro Vęgrovienſi* Admodum Reverendos *Iacobum Bujalſki* Sterdinenſem & *Martinum Zawiſzowſki* Cerąnovienſem Parochos; *pro Bielſcenſi* Jlluſtres & Admodum Reverendos *Ioannem Byſtram* Canonicum gratialem Lucèórienſem Decanum Bielſcenſem Præpoſitum Bockovienſem & *Paulum Płoński* Canonicum gratialem Lucèórienſem Præpoſitum Płoncenſem; *pro Drobicienſi* Admodum Reverendos *Lucam Niemyſki* Vinnenſem & *Martinum Gałęſki* Grannenſem Parochos; *pro Branſcenſi* Admodum Reverendos *Lucam Sąkowſki* in Działkowice, & *Adalbertum Wnoronſki* in Kuleſze Parochos; *pro Łoiicenſi* Admodum Reverendos *Alexandrum Zaleſki* Decanum Łośicenſem Curatum Paprotnenſem & *Adamum Łupiński* Przeſmycenſem Parochum; *pro Szereſzovienſi* Jlluſtrem & Admodum Reverendos *Andream Faſzczewſki* Decanum Szereſzovienſem Parochum Pruzanenſem Canonicum Gratialem Lucèórienſem, & *Benedictum Frideriſſon* Horodecenſem Parochum aſſignamus eos eſſe juratos, nec à quopiam alio Suis in Decanatibus, niſi ab ijs (ſalvâ tamen exceptione contra eoſdem) Inquiſitiones expediri volumus. Qui quidem DD. Commiſſarij ſtatim hacce in Synodo in Rotham, quòd fideliter ac diligenter munus exequentur jurare, à Partibus tandem eos conducentibus, nè fortè illis ſuum Officium ſit damnoſum ſuſtentari debebunt ac tenebuntur. *Quodſi* verò *ad præſens Deputati è vivis exceſſerint, alios* in locum Ipſorum in Congregatione Decanali *eligendi,* Nobis vel Officio Noſtro (coram quo jurare debebunt) *præſentandi, unicuiq; Decanatui facultatem damus* & concedimus, hiſce verò Synodalibus ſi cuipiam proprium Commiſſarium addere placuerit, eum hocce Juris beneficio privare nolumus, quinimò facile permiſſuros declaramus,

CA-

CAPVT XLV.

De Archivo utriuſq; Conſiſtorij.

MUltúm intereſt unicuiq; Eccleſiæ in Archivo Conſiſtorij optimè conſervando, proinde licet utrumq; & quidem *Lucèórienſe* per Generoſum *Franciſcum Kalnicki* Conſiſtorij Lucèórienſis, *Ianovienſe* vero per Generoſum *Ioannem Temeſvari* Cauſarum Curiæ Noſtræ, Conſiſtorij generalis Janovienſis. Synodiq; præſentis Notarios in bono Ordine conſervetur, nihilominús ut & in poſterum idem Ordo ſit & foveatur, eorundem Archivorum Reviſionem quôlibet Trienniô faciendam decernimus, ad eumq; effectum Reviſores Perilluſtres & Admodum Reverendos Officiales Noſtros nunc & pro tempore exiſtentes deputamus, utq; DD. Notarij utriuſq; Conſiſtorij quàm diligentiſſimè Proceſſus Actorum Civilium & Criminalium, Libroſq; Viſitationum ac Libros reſcriptorum, qvæ gratioſa appellantur teneant, Omnes verò *Beneficiati originalia Iurium ſuorum*, nè apud Jllos depereant, *intra Terminum Septimanarum quatuor* à publicatione præſentis Synodi computandum *ad Cancellariam comportent* ordinamus.

CAPUT XLVI.

De Ecclesijs deſolatis.

NOn ſine gravi Animi Noſtri dolore multas ſub tempus Viſitationis noſtræ generalis nuper expeditæ, & quidem alias uti in *Łabori*, *Radźiwiłow Staniſław ow*, *Kulczyny*, *Berezne*, *Wiſzenki*, *Kożin* tam Fundatione, quàm & Rectoribus ſuis deſtitutas, alias verò uti *in Sudełkow*, *Oſtropol*, *Leśniow*, *Wyzgrodek*, *Smołderow*, *Deraznia*, *Hubkow*, *Oſtrożek & Chłapotyn* penitùs extinctas vidi-

 mus

mus ac offendimus ſuperq; ejusmodi Ipsarum deſolatione, Animarumq; quarum Corpora ibidem requieſcunt ſuffragii debiti privatione collachrimavimus, requiſivimus Nonnullos eorundem bonorum Poſſeſſores, ut tandem aliquando neceſſitatibus earum ſubveniant, ſed quia hactenus eidem non eſt ſatis factum, iterum eosdem hac Synodali Noſtra Conſtitutione requirimus, quanta injuria Deo animabusq; Fidelium tam vivorum quàm & mortuorum exinde conſequitur, quantùm oneris ſuis in conſcientijs ſuſtineant, ut conſiderent & recognoſcant eôq; ſtimulô & conſideratione tacti & compulſi obligationi ſuæ, quæ eſt Prædeceſſorum Fuudationes ſi non augere, ſaltem extinctas & neglectas reſtituere, ſatisfaciant, per Viſcera Chriſti & Amorem propriæ ſalutis æternæ obligamus.

CAPVT XLVII.

De Reductione Miſſarum.

ADvertimus quidem permultas Fundationes antiquas in ſuffragium Animarum inſtitutas temporum iniquitate, rerum æſtimatione, ac valoris monetæ immutatione & ut plurimùm etiam, eorum, qui ſolvendis Cenſibus ac pendendis reditibus ſunt obnoxij penuriâ ac paupertate adeo extenuatas eſſe, ut plerumq; intentiones ac piæ voluntates depereant: Reductionemq; Miſſarum in ijs expreſſarum ex certis et rationabilibus cauſis per ſacrum Concilium Tridentinum necnon per Breve URBANI VIII. ſpecialiter pro REGNO Poloniæ impetratū permitti non ignoramus, verùm cùm ejuſmodi reductio in Oneribus Miſſarum duntaxat poſt Concilium Tridentinum acceptatis & non aliter conceſſa eſt, multa verò legata Miſſarumq; onera etiam ante dictum Concilium reperiuntur acceptata, præterea cùm Sacra Congregatio Eminentiſſimorum DD. Sanct. Romanæ Eccleſiæ Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum *in Decretis de*

cele-

celebratione Miſſarum publicatis & in Typographia Rndæ Cameræ Apoſtolicæ impreſſis de Anno 1625. URBANI VIII. Authoritate ſibi ſpecialiter attributa decrevit, ut pro ejs reducendis aut moderandis vel commutandis ad S. Sedem Apoſtolicam recurratur, idq; ſub nullitate quorumvis Actuum, quòd ipſum INNOCENTIUS XII. Anno 1697. ſubſequenter poſt Breve pro Regno Poloniæ editum innovavit, neceſſitati ſummæ omnium fermè Eccleſiarum ſuccurrendo, hoc in paſſu Sanctæ Sedi Apoſtolicæ ac Sacræ Congregationi Eminentiſſimorum DD. Sanctæ Eccleſiæ Cardinalium S. Concilij Tridentini Interpretum humiliter pro danda facultate ſupplicamus. Et quia dictam S. Sedem Apoſtolicam ac S. Congregationem Nobis auxiliante Deô in præmiſſis favorabiliter affuturam non diffidimus *ad revidenda Iura uniûs cujuſq; Eccleſiæ* Fundationum, Legationum, ac inſcriptionum Perilluſtres & Admodum Reverendos *Antonium Szaſſowſki* Vq. J. D. Decanum Cathedralem Lucèorienſem, Præpoſitum Czarnawczycenſem Vicarium in Spiritualibus & Officialem Generalem Diœceſis Noſtræ Breſtenſis, atq; *Vincentium Suchocki* Vq. I. D. Prothonotarium Apoſtolicum, Scholaſticum Cathedralem Lucèorienſem Cauſarum Curiæ Noſtræ Auditorem & Judicem, atq; *Vladiſlaum Sutkowſki* Archidiaconum Breſtenſem *Commiſſarios deputamus*, quorum acceptâ informatione, ſi id Sacræ Congregationi videbitur, id quod juris erit decernemus. In poſterum verò quatenus tam *Seculares quàm* cujusvis Ordinis *Regulares Sacerdotes ſine* expreſſo ſcitu & conſenſu Noſtro *Authoritateq; Ordinaria nova* quævis *onera* aut novas Fundationes perpetuò Miſſas abſolvendi *ſuſcipere non audeant* inhibemus.

CAPVT XLVIII.

De Sacramento Pœnitentiæ.

DE *Pœnitentia*, quæ ex vi vocis *eſt pœnæ tenentia* (a) ejusq; Sacramento quô lapſis poſt Baptiſma contritis

S confeſſis

confeſſis ac ſatiſfacere proponentibus abſolutio conferatur à peccatis, & *cujus materia proxima* ſunt Actus pœnitentis, *remota* verò peccata non acceptanda, ſed deteſtanda, *Forma* tandem Verba Sacerdotis abſolutionem conferentis, fusè quidem ſcripſimus in Litera Noſtra Paſtorali eodem ſub Titulo, verùm nè & in præſenti Synodo de ea tacere videamur, Omnes Presbyteros & præcipuè quibus Cura Animarum commiſſa eſt, per Viſcera Chriſti obſecramus in Domino, ùt pro adminiſtrando condignè ejuſmodi Sacramento, qualitates in ſe debitas habere procurareq; ſatagant, quas nè quiſpiam ignorare prætendat, eas hoc loco ſubjungimus. Sunt autem *qualitates Confeſſariorum* à Concilijs & SS. Patribus requiſitæ: Primò *Pietas erga Deum* per frequentem Orationis mentalis uſum, piorum Librorum lectionem, mentis repetitam ſæpiùs in Deum Converſionem ad excitandum in ſe Amorem Cultumq; Divinum. Secundò *Pietas in Proximum:* Confeſſor enim habeat neceſſe eſt pietatem (b) in alterius crimine, adjuvet Confitentem orando, eleemoſynam dando, & cætera Bona pro eo faciendo, ſemper eum juvet leniendo, conſolando, ſpem promittendo. Tertiò *Scientia:* quia *Confeſſarius Medici ac Iudicis munus exercet,* adeoq; more periti Medici (c) ſuperinfundat Vinum & Oleum vulneribus ſauciati, diligenter inquirens & peccatoris circumſtantias & peccati, quibus prudenter intelligat quale debet ej præbere conſilium; Ac quod ad Judicis Officium attinet (d) ſatis conſtat non vulgarem Scientiam neceſſariam eſſe, quâ & peccata inveſtigare, & ex varijs peccatorum generibus quæ gravia & quæ levia ſint, pro cujuſquè hominis ordine & genere poſſit judicare. Quartò *Zelus Animarum quem* præ cæteris ferventer *commendat S. Carolus in aurea ſua Confeſſariorum inſtructione, dicens Confeſſarium tria* principaliter *zelare debere: primò* ut per Conſilia & remedia Spiritualia obveniat aſtutijs diabolicis, *ſecundò* ut pœnitentem relictô veteri homine cum concupiſcentijs ſuis, in novum & Chriſtianum hominem perfectè reformet, ac

(a) S. Auguſt: relat: in Can: Pœnitent: Diſtinct: 3.

(b) S. Auguſt. relat. in Con. Qui vult de Pœnitent. Diſtinct. 6.

(c) Concil. Later. Can. Omnis utriusq;.

(d) Cathechiſm. Concil. Trid.

tertiò

tertiò ut Jpſemet Confeſſarius maximum in ſe ipſo proficiendi deſiderium habeat. Quintò *Prudentia* quæ *eluceſcere debet:* 1. *in modo* quô inducere poſſit Pœnitentem etiam obſtinatum, ut conſcientiam ſuam ſincerè aperiat, interrogando illum ſpecialiter circa peccata quæ Perſonis talis conditionis ſortis & Ætatis ordinaria ſunt, quòd moderatè & ſine curioſitate faciendum eſt, præcisè tantùm ut circumſtantiæ tàm ſpeciem mutantes, quàm notabilitèr aggravantes ſciri queant, 2. *In diſcernendo* utrùm pœnitentes præſertim graviorum peccatorum rei, verum habeant dolorem & ſincerum emendationis Propoſitum de futuro, etiam vitandi omnes occaſiones proximas peccandi, differendo etiam quandoq; illis abſolutionem, qui veri ſinceriq; doloris ſignum non edunt. Abſit proindè longiſſimè omnis abuſus clavium, nè Confeſſarij ſervorum potiùs ac Judicum more, ſcelerata Jndulgentiâ & imprudentiâ palmari Pœnitentes priùs abſolvere, quàm an abſolutionis capaces ſint explorare videantur; abſit omnis adulatio & conniventia, quæ quò ſvavior quandoq;, eò crudelior ſub miſericordiæ & pietatis Nomine pænitentes abſolvit, ſed ſine abſolutione vera dimittit, abſolutio enim talis à S. Cypriano (e) irrita & falſa, pax periculoſa dantibus & (e) Serm. de lapſis. accipientibus vocatur. 3. Prudentiâ Confeſſarius utatur oportet *in habenda reſolutione* multarum difficultatum, quarum deciſiones non ita obviæ reperiuntur, item pro eligenda meliori ac tutiori Sententia, quando adverſantes ſibi invicem opiniones occurrunt. 4. Prudentia maximè neceſſaria eſt *in vitandis illis, quæ* bono Nomini ac *famæ nocent*, confidentiam Spiritualem diminuunt, vel ipſum quo quo modô peccandi periculo exponere poſſunt. Sextò tandem *Patientia*, quam Confeſſarij exerceant imprimis libenter & patienter ſupportando ſimplices, agreſtes modos proponendi, ignorantiam & imbecillitatem, cogitando quòd *cum ſimplicibus ſermocinatio Domini*; *patientiam inſuper monſtrent* in modo facili prompto & blando recipiendi Pœnitentes, vidimus enim ob immoderatum zelum Confitentes profundiùs ruere

in peccata, atq; à pœnitentia abhorrere. Et hæ ſunt qualitates in Confeſſarijs requiſitæ. Sed quia *ſubjectum abſolutionis*, quod *eſt ſolus homo baptizatus*, cum vero dolore de peccatis ac ſeriò emendationis propoſito ritè diſpoſitus, ſciri & debitè à Confeſſario cognoſci debet; Subjungimus hôc locô non baptizatos eſſe incapaces abſolutionis Sacramentalis, cùm abſolutio ſit Actus juriſdictionis, qui ab Eccleſia in Cathechumenos & infideles exerceri non poteſt, juxta illud Apoſtoli: *quid mihi de his qui foris ſunt judicare?* Item non ritè diſpoſitos ex Cauſa pariter abſolvendos non eſſe, ſed quia ejuſmodi indiſpoſitio Pœnitentis varia eſſe poteſt, pro clariori ejus Notitia caſus quoſdam ſpecificos ex probatis Authoribus ſynopticè recenſemus. 1. *Abſolvi nullatenus debent*, qui nullum veri aut ſupernaturalis doloris indicium dant, quiq; vitam in meliùs emendare nolunt. 2. Denegari debet abſolutio ijs, *qui bona aliena injuſtè detinent*, aut fortunæ bonis & famæ proximi graviter nocuerant, nec reſtituere, ſatisfacere, aut damnum illatum pro poſſibili reſarcire intendunt. 3. Abſolvendi non ſunt, *qui odia & inimicitias corde nutriunt*, & vindictam ſpirantes cum inimicis omni meliori modô reconciliari detrectant. 4. *Qui in* aliqua *proxima peccandi occaſione verſantur*, & ipſam cum poſſint deſerere nolint, tamdiu abſolvi non debent, quamdiu illam non deſerunt, quodſi nequeant illam deſerere, differri debet abſolutio, uſq; dum dederint aliqua indicia emendationis, ut legitimè credi poſſit ipſos non relapſuros. 5. Abſolvibiles non ſunt, *qui occaſionem proximam peccandi præbent alijs*, nec eam auferre aut pro poſſibili, malo tali occaſione cauſato mederi parati ſunt, tales verò ſunt ij, qui conventicula fovent luſibus immoderatis, impietatibus, compotationibus, blaſphemijs, luxurijs, choreis laſcivis alijſq; Criminalibus obnoxia: item *qui detinent in domibus laſcivas tabellas & ſcandaloſas imagines*, quæ inſpicientibus occaſio peccandi eſſe poſſunt. Item illi *qui illas faciunt*, aut quovis prætextu vendunt, *qui typis evulgant*, componunt, imprimi

faciunt

faciunt aut vendunt *malos Libros* aut ſcripta contra fidem ac bonos mores. Item *fœminæ quæ nudô incedunt pectore* & ſinu, poſtquam ſatis ſuperq; admonitæ fuerint, quibus ſalubriter, si abſq; ſcandalo fieri poſſit, denegatur Euchariſtia, quoties ad S. Menſam inverecundè accedunt. 6. Differri debet abſolutio illis, *qui contraxerunt habitum mortaliter peccandi*, usq; dum emendatio advertatur, quo in paſſu damnata eſt ab INNOCENTIO XI. propoſitio hæc: *Pœnitenti habenti conſuetudinem peccandi contra legem Dei, Naturæ ac Eccleſiæ, & ſi Emendationis ſpes nulla appareat, nec eſt deneganda nec differenda abſolutio*, dummodo ore proferat ſe dolere & ponat emendationem, & hoc per Decretum 2. Martij Annô 1679. editum. 7. Illis quoq; deneganda eſt abſolutio, *qui Artem aliquam, aut vivendi Rationem exercent*, quam ſciunt ſibi tantopere nocere, ut eam ſine peccato proſequi mortaliter non poſſint, niſi ſpondeant illam derelinquere. 8. Miniſter abſolutionis audire non debet aut abſolvere *tale ſubjectum, cujus peccatorum particeps aut complex fuit.* 9. Abſolutio danda non eſt *publicis peccatoribus*, & illis *qui Populum publicè ſcandalizant*, donec publicè ſatisfecerint, & ſcandalum datum bonô exemplô correxerint. 10. Illis, *qui in rebus fidei ignorantes ſunt*, præſertim circa Eccleſiæ Mandata, Orationem Dominicam, Symbolum Apoſtolicum & alia magis neceſſaria, ſi ignorantia talis per negligentiam ſalutis aut ruditatem naſcitur ut ſtatim inſtrui non poſſint in neceſſarijs neceſſitate ſalutis differri debet abſolutio, & contrarium damnatum à ſupracitato INNOCENTIO XI. 11. *Miniſter abſolutionis nec poteſt, nec debet abſolvere à* Caſibus reſervatis *ſine ſpeciali Licentia* & facultate, niſi in extremo mortis articulo ubi alius habens poteſtatem abſolvendi non adeſt. 12. Clerici *qui Sacris Ordinibus ſuſceptis Beneficium poſſident, nec tamen veſtem talarem & tonſuram ferre volunt*, aut qui ſua Beneficia malè conſecuti ſunt, aut incompatibilia poſſident, aut non reſident cùm reſidere obligantur ſine legitima cauſa, abſolutionis capaces non ſunt. 13. Abſolutio denegetur illis *qui ex habitu & ſine ulla juſta Cauſa ſervilia opera tra-*

 ctant

ſtant Diebus Dominicis & *feſtivis* ab Eccleſia præceptis ſunt verò tales Chirurgi, Tonsores, quibus abſolutio Sacramentalis dari non debet, uſq; dum ſpondeant ſe id ampliùs non facturos. 14. Deneganda eſt abſolutio Uſurarijs, *qui peccunias mutuare aſſveti ſunt*, ut aliquid præter ſortem accipiant, aut ſimplici Schedula aut contractu aut aliô quovis modô, vel qui nolunt uſuram qualemcunq; demum relinquere. Ratio horum omnium eſt: quia Miniſtri abſolutionis tenentur illis tantùm abſolutionem ſacramentalem conferre, quos rationabiliter credunt eſſe verè diſpoſitos & contritos *cum ſerio propoſito* non peccandi de cætero. Tum quia Confeſſarius Medici munus ſubit per abſolutionem ſanando Ægrotum, medicinalem quoq; ſanandi modum debet imitari, *Medicus* autem (f) *medendi tempus expectat, ut digeſtis ægritudinibus medicinæ ſubſidia deferantur, nè acerba adhuc & immatura ut aſſerunt ægritudo, curationis remedijs reluctetur, & beneficium ſentire non poſſit.* Quòd maximè de recidivis & conſvetudinariis intelligi debet. Cùm ergo nonniſi longo tempore & cum magna difficultate vulnera Animæ ſæpiùs iterata ſanari queant, conveniens planè & neceſſarium eſt hujuſmodi pœnitentibus differre vel negare abſolutionem Sacramentalem. Rem brevibus concludendo; illud Eminentiſſimi ac Pientiſſimi Cardinalis Nigroni ſaluberrimum Monitum in Synodo Faventina editum ac Romæ 1695. Typis evulgatum, innovando, *quia non ſine lachrymis intelligimus Sacramenti, Pœnitentiæ antidotum ſæpè converti in Animarum venenum, ſummoperè commendamus omnibus Confeſſarijs, ut curandis recidivis ſedulo incumbant*, Illis, etiamſi ſint ſacerdotes opportunè in aliud tempus abſolutionem differendo, ut hac ratione pravos habitus exuere, rebelleſq; Animi motus compeſcere doceantur.

(f) S. Ambr: in Pſalm: 17.

CAPVT XLIX.

De Ordine Decanatuum.

NIhil inordinatum relinquere cupientes, ut etiam Decanatus Diæceſis Noſtræ ſuam in poſterum habe-

ant

ant præcedentiam, inter eos ejuſmodi præcedentiæ hunc quem in ſequenti Capite, ubi de Parochiarum diviſione agitur, præſcripſimus ordinem, obſervari volumus. Et quia bini Decani Ołycenſes nimirum: Collegiatæ, & Foraneus ad præſens sunt, ob ſimilitudinem verò vocis & Tituli videntur unam quodammodò dignitatem, ſeu Officium poſsidere, nè exindè error quiſpiam eveniat, *extinctô Officiô Decani foranei Ołycenſis, Decanatum Dubnenſem* in ejus locum *ſubſtituimus*, Capitulumq; & Collegiatæ Ołycenſis Sacerdotes, à cujuſvis Decani foranei Juriſdictione eximimus.

CAPVT L.

De Parochiarum Diviſione ſeu Diſmembratione.

INgens Diœceſis Luceórienſis vaſtitas, remotiſſima Templorum diſtantia, ſumma eorundem præcipuè in confinijs per hoſticum deſolatio, obliterataq; nonnullorum Jurium notitia fecerat, quod Parochiæ præſertim in Palatinatu Bracłavienſi & non parùm in Vołhynia, abſq; circumſcriptione ſuoq; Termino, in Podlachia verò multæ extravagantes ſuâq; Parochiâ carentes Villæ pagique permanſere: Dederat operam illis definiendis Jlluſtriſſimus olim *Andreas Lipſki* Magnus Regni Cancellarius Noſter Prædeceſſor in Anno 1621. proceſſit ſynodaliter ad mentem Illius exequendam Jlluſtriſſimus *Andreas Gembicki* tertius poſt ipſum Epiſcopus, Conſtitutionemq; illius reaſſumendo, Commiſſarios ad eum effectum in Synodo Anno 1640. celebrata, Titulô de Parochijs definiendis deputavit; quia optima vigilantiſſimorum voluntas Paſtorum effectum hactenus non eſt conſecuta, Nos volentes ut quilibet *Parochus à partitione Curæ dictus* (a) partitam & certis limitibûs definitam curam teneat, ad hæc, ne unquam inter Curatos lis & diſceptatio de Parochijs oriatur; quædam verò Eccleſiæ Parochianîs abundent, & quædam iiſdem maneant deſtitutæ, utq; fidelis Populus, ubi percipere de-

(a) Abbas in c. Extirpanda §.Quia vero 2. n. 10. de Prebendis.

beat Sacramenta, ſemel pro ſemper certus exiſtat, niſi ſtendo Juribus Canonicis & præcipue Diſpoſitioni S. Concilij Tridentini eaſdem totius Diæceſis Parochias hac Synodali Conſtitutione diſtinguimus. Et inprimis *Parochiam Pinſcenſem* ultra quadraginta & ampliùs milliaria protenſam, cujus ſpatioſitas & ingens locorum diſtantia per aquas Ponti Euxini, cui tota ferme ſupernatat, difficultas itinerum, evidens in ſe continet periculum Animarum, ne Jnfantes ſine baptiſmo; Jnfirmos ſine Sacramentis decedere aut bene valentes ſingulis Diebûs Dominicis & Feſtis sine Sacrificio eſſe contingat, Authoritate S. Concilij Tridentini Seſs. 21. de Reform. Cap. 4. idipſum in tali caſu conſulentis, præſentiſquè Noſtræ Synodi dividimus, & *in Partem Curæ Patres Piarum Scholarum in Lubieſzow* Oppido à Pinſk alijsquè omnibus Parochialibus duodecem circiter milliaribus diſſito exiſtentes & *ad Curam Animarum per Fundationem obligatos invitamus*, accedenteq; utriuſq; Partis conſenſu *Lubieſzovienſem Eccleſiam in Parochialem erigimus* ad Decanatum Szereſzovienſem ſpectare debere declaramus, & tàm dictæ Lubieſzovienſi Eccleſiæ, quàm & alijs infraſcriptis, Villas Jure Parochiæ eô qui ſequitur ordine ſubijcimus, cautum eſſe volentes, quòd hac Parochiarum diviſione determinatione ad ſuoſq; limites reductione, nolumus nec intendimus præcludere viam, quò minus poſtea novæ Eccleſiæ Parochiales fundari & erigi poſſint, ſed poſtquam aliquæ cum Noſtro conſenſu Ordinario fundatæ fuerint, circa Erectionem, viciniores illis Villas Jure Parochiali annectemus & remotiores deſignatis jam à Nobis Parochialibus reſervabimus. Specialiter autem pium Zelum Curæ Animarum inſtituendæ Jlluſtriſſimi JOSEPHI POTOCKI Palatini Chijoviæ, qui *in* Oppido *Wołoczyſka* Eccleſiam conſtruxit noviter, *in Zbaraż*, innovatâ quæ deperierat Fundatione itidem Parochiali Eccleſiæ notabilia jecit Fundamenta, *in Niemierow* in Ukraina novam cum recenti Fundatione ædificavit Eccleſiã, in *Manaczyn* tandem novam in antiquo loco Eccleſiam ædificaturum ſe quantoci-

us

us promiſit ac declaravit Item Jlluſtriſſimi Ducis MICHAELIS WISNIOWIECKI Magni DucatûsLithvaniæCancellarij, qui *in* Oppido *Ozoowce* novam Eccleſiæ ejus loci Fundationem conſtituit. Jlluſtriſſimi quoq; *Ducis* SANGUSZKO Curiæ Magni Ducatûs LithvaniæMARESCHALCI, qui in bonis *Łokaçze* noviter conſtructam Eccleſiam novâ Fundatione ſtabilivit, Jlluſtris tandem & Magnifici PETRI PEPŁOWSKI Pocillatoris ChijoviæVice-CapitaneiCaſtrenſis Lucèórienſis qui *in* Bonis *Szpanow* non inelegantem conſtruxit Templi fabricam dotavitq; collaudantes, quòd ad Erectionem earum & ad deſignationem Parochiæ libentiſſimè accedemus, præſentibûs declaramus.

Ordo & Numerus Decanatuum, Eccleſiarum Præpoſituralium, Parochialium, Vrbium & Villarum eis jure Parochiali ſubjectarũ, nec non Eccleſiarum hoſpitalium & Regularium in utraq; Diœceſi Lucèórienſi & Breſtenſi exiſtentium.

DIÆCESIS LVCEORIENSIS.

Decanatus Vlodimirienſis.

LUCK Civitas. Ibi *Eccleſia Cathedralis* ſub Titulo Sanctiſſimæ TRINITATIS. EccleſiaParochialis Tituli S. JACOBI Apoſtoli: Ibidem Eccleſia PP. Ordinis Prædicatorum S. DOMINICI: Eccleſia PP. Societatis JESU. Eccleſia PP. Ordinis S. FRANCISCI de obſervantia vulgò Bernardinorum. Eccleſia PP.Ordinis S. JOANNIS deDEO vulgó Bonifratellorum. Eccleſia PP. Ordinis Sanctiſſimæ

TRINITATIS de Redemptione Captivorum. & Eccleſia Religioſarũ Virginum Monialium Ordinis S. BRIGITTÆ.

Civitas & villæ Parochiæ Lucèorienſi ſubjectæ ſunt ſequentes: nimirum 1. Civitas Łuck cum ſuis ſuburbijs 2. Villæ Huidawa. 3. Nowyſtaw. 4. Horodnia 5. Czekuie. 6. Jałowicze ibi Eccleſia PP. Ordinis S. DOMINICI. 7. Połonna. 8. Połońka. 9. Omelanik. 10. Omelaniczek. 11. Zaborole. 12. Iwanczyce. 13. Serniki: 14. Załawie. 15. Swoź. 16. Podhayczyki 17. Teremno. 18. Wolka. 19. Jezioro. 20. Siekierzyce. 21. Czołnica. 22. Olſzany 23. Poddubce. 24. Harazdza. 25. Wyſzkow. 26. Krupa. 27. Worotniow. 28. Kolczyn. 29. Urwichwoſty. 30. Bokowa. 31. Hawczyce 32. Bodiaczow. 33. Bochołuby. 34. Oleſzow. 35. Czernczyce. 36. Miłuſze. 37. Kraſno. 38. Dydowicze. 39. Kuczkorowicze. 40. Zaryniniec. 41. Łyſzcze. 42. Botyn. 43. Zwirow. 44. Kopcze. 45. Kiwierce. 46. Jarowica. 47. Rowance. 48. Przedmoście. 49. Sapołow. 50. Zydyczyn. 51. Klepaczow. 52. Bohoſzowka. 53. Liplany. 54. Niemieckio. 55. Waśiłki.

TORCZYN Oppidum, ibi Eccleſia Parochialis cui Jure Parochiæ ſubeſt. 1. dictum Oppidum Torczyn cum ſuis ſuburbijs. 2. Villæ Kuty. 3. Bujany. 4. Wośicze. 5. Grodek. 6. Woderady. 7. Siedmiarki. 8. Litwa. 9. Hulaniki. 10. Ozdeniſz. 11. Zabłotce. 12. Szopel. 13. Boratyń. 14. Chorochoryn. 15. Sadow. 16. Korſzow.

ZŁOCZOWKA ibi Eccleſia Parochialis cui Jure Parochiæ ſubſunt Villæ proſequentes videlicet: 1. Złoczowka. 2. Radomyśl. 3. Suchawola 4. Juſzkowce. 5. Bilcze. 6. Malow. 7. Ruśniewo. 8. Bereſteczko Oppidum ibi Eccleſia PP. Ordinis Sanctiſſimæ TRINITATIS de Redemptione Captivorum. 9. Paſzowa. 10. Wyczołkow. 11. Nowośiołki: 12. Boremel. 13. Smykow. 14. Zaboże. 15. Kołodeża.

NIESWIEZ ibi Eccleſia Parochialis cui Iure Parochiæ ſubſunt villæ ſcilicet: 1. Nieświez. 2. Ławrow 3. Bakowce. 4. Czarukow. 5. Rykanie. 6. Mytyſzcze. 7. Wigurzyce. 8. Hurynow. 9. Hrohorowicze. 10. Hubin 11. Taiki. 12. Korſzow. 13. Hordiſzcze. 14. Czeperow. 15. Podbereżie. 16. Wiktorzany.

SKOR-

SKORCE ibi Eccleſia Parochialis cui Jure Parochiæ ſubjacent villæ hæ: 1. Skorce. 2. Zukowiec. 3. Chorzywin. 4. Białyſtok 5. Wuiatyn. 6. Hał. 7. Michlin. 8. Szklin. 9. Biſkupicze. 10. Bludow. 11. Watyn. 12. Bubnow 13. Tuliczow. 14. Liniew. 15. Puſtomyły.

KONIUCHY ibi Eccleſia Parochialis cui Jure Parochiæ ſubſunt villæ proſequentes nimirum: 1. Koniuchy. 2. Kołpytow. 3. Swiniuchy. 4. Zaſzczytow. 5. Zachorow. 6. Horow. 7. Walowicze, 8. Szelwow. 9. Kuty. 10. Białopole. 11. Wuin. 12. Korytnica. 13. Kronicz.

HOROCHOW ibidem Eccleſia Parochialis, cui. Juræ Parochiæ ſubſunt Villæ ſequentes: 1. Horochow Oppidum. 2. Sielec. 3. Huchow. 4. Dołhe. 5. Boryſzkowicze. 6. Borodczyce. 7. Haliczany. 8. Hołomow 9. Olizarow. 10. Zwiniaſz. 11. Myslyny. 12. Nowoſiołki. 13. Oſzczow. 14. Bożow. 15. Jezierce. 16. Markowice 17. Mirkow. 18. Porwáńcze, 19. Pieczychwoſty. 20. Tereſzkowce. 21. Podberezie. 22. Raczyn. 23. Stáry Horochow. 24. Pułchány. 25. Druſzkopol. 26. Druſzkopolſka Wolica. 27. Kwáſow. 28. Kniazie. 29. Fuſow. 30. Brány. 31. Bużány. 32. Zawidow. 33. Deroczyn. 34. Kráſow.

PORYCK ibi Eccleſia Parochialis cui Jure Parochiæ ſubſunt Villæ hæ nimirum: 1. Poryck ſtáry. 2. Hrykowice. 3. Topiliſzcze. 4. Przesławice. 5. Trubki. 6. Kuczkow. 7. Hruſowá. 8. Sámowola. 9. Iaremkowice. 10. Láchow. 11. Iwanicze. 12. Derewin. 13. Myſzow. 14. Janiewicze. 15. Szczeniutyn. 16. Radowicze. 17. Kołonná. 18. Zaſkiewicże. 19. Milatyn. 20. Haykołyſki.

LITOWOSZ ibi Eccleſia Parochialis Cui Jure Parochiæ ſubſunt: 1. Oppidum Litowoż. 2. Zdzáry. 3. Zdzárki. 4. Zabłocie. 5. Bylicze. 6. Grzybowicze. 7. Kropiwſzczyzná. 8. Kałuſow. 9. Hrynow. 10. Biſkupiczki. 11. Rożanká. 12. Drochinicze. 13. Ruſowicze. 14. Niſkincze. 15. Bátyaczyce. 16. Tylkowice. 17. Liſzná. 18. Molnikow.

SIELEC ibidem Eccleſia Parochialis, cui Jure Parochiæ ſubjacent villæ videlicet. 1. Sielec. 2. Zytanie. 3. Nawrotyn.

tyn. 4. Chmielow. 5. Chmielowká. 6. Mikulicze. 7. Biſkupicze. 8. Czernczyce. 9. Czeſnychreſt. 10. Fálenická Wolká. 11. Bubnow. 12. Męczyce. 13. Márkoſław. 14. Podcháyce.

WŁODZIMIERZ ibi Eccleſia Parochialis Cui Jure Parochiæ ſubſunt: 1. Oppidum Włodzimierz. 2. Villæ Błáženik. 3. Owádno. 4. Ochnowká. 5. Puzow. 6. Chworczyn. 7. Rudná. 8. Dubniki. 9. Piatydnie. 10. Uściłog. 11. Chotiaczow. 12. Ruſow. 13. Zieleniow. 14. Werchnow. 15. Rochożány. 16. Woſzczátyn. 17. Láſkow 18. Oránie. 19. Nowośiołki. 20. Suchodoły. 21. Chobułtowá. 22. Fálemicze. 23. Zimno. 24. Oſtrowiec. 25. Szyłtow. 26. Łopáczowká. 27. Turyczány. 28. Jáchodno. 29. Stawki. 30. Łudzin. 31. Ambukow.

